EIA ADVOCATA NOSTRA

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
CARLI: Consortium of Academic and Research Libraries in Illinois

http://archive.org/details/synodusdioece00cath

SYNODUS DIŒCESANA

CHICAGIENSIS PRIMA.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

SYNODUS DIŒCESANA

CHICAGIENSIS PRIMA,

JUXTA NORMAM A CONC. BALT. III. PRÆSTITUTAM

HABITA

In Ecclesia Metropolitana SS. Nominis.

A REVERENDISSIMO

PATRITIO AUGUSTINO FEEHAN,

ARCHIEPISCOPO CHICAGIENSIS.

DIE XIII. DECEMBRIS, A. D.
MDCCCLXXXVII.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

249.0853
C5329

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

CHICAGIÆ:
EX TYPIS CAMERON, AMBERG ET SOCIORUM.
1887.

FRANCISCAN
FATHERS
S. CLARK STREET,
CHICAGO.

INDEX.

Litteræ Indictionis Synodi, ... vii
Procœmium, ... ix
Officiales Synodi, ... xiii
Consultores Diœcesani et Inamovibiles Rectores, . xiv
Examinatores Cleri—Decani, Seu Vicarii Foranei—Procurator Fiscalis—Defensor Matrimonii, ... xv
Commissio Examinationis et Commissio Scholarum, . xvi
Synodales, ... xix
Titulus Primus—*De Conciliorum Baltimorensium Promulgatione*, 1
Titulus Secundus—*De Fide Catholica*, ... 1
Titulus Tertius—*De Doctrina et Prædicatione Verbi*, . . 4
Titulus Quartus—*De Institutione Juventutis*, ... 6
Titulus Quintus—*De Zelo Animarum*, ... 8
Titulus Sextus—*De Vita et Honestate Clericorum*, . . 12
Titulus Septimus—*De Rectoribus et Eorum Adjutoribus*, . 16
Titulus Octavus—*De Officialibus Diœceseos*, . . . 22
Titulus Nonus—*De Regularibus*, ... 23
Titulus Decimus—*De Sacramentis in Genere*, ... 25
Titulus Undecimus—*De Sacramento Baptismi*, ... 29
Titulus Duodecimus—*De Sacramento Confirmationis*, . 32
Titulus Tertius Decimus—*De SS. Eucharistiæ Sacramento*, 34
Titulus Quartus Decimus—*De Sacramento Pœnitentiæ*, . 38
Titulus Quintus Decimus—*De Extrema Unctione et Cura Infirmorum*, ... 42
Titulus Sextus Decimus—*De Sacramento Ordinis*, . . 43
Titulus Septimus Decimus—*De Sacramento Matrimonii*, . 44
Titulus Octavus Decimus—*De Cultu Divino*, ... 49
Titulus Nonus Decimus—*De Cœmeteriis et Sepulturis*, . 57
Titulus Vicesimus—*De Ecclesiis et Bonis Ecclesiasticis*, . 60

21,575

PATRITIUS AUGUSTINUS,

Dei et Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Chicagiensis,

Delecto Nostro Clero, tum Seculari, tum Regulari, Salutem in Domino:

Die decima tertia Decembris, in Ecclesia Nostra Metropolitana Sanctissimi Nominis, hora decima, habebitur Synodus Diœcesana, ad quam, per hasce litteras, vocantur omnes Sacerdotes, qui in hac diœcesi curam habent animarum, atque alii quicumque qui de jure vel consuetudine Synodo interesse tenentur. Et hoc, in quantum opus est, in virtute Sanctæ obedientiæ jubemus.

Convenient Sacerdotes clericali habitu, superpelliceo ac bireto induti.

Si alicui interesse impossibile sit, Nobis prius absentiæ causam explicabit.

Cum consultores sex Diœcesani sint elegendi, juxta Concilium Plenarium Baltimorense, tres a Nobis, et tres post propositionem Cleri, singuli Sacerdotes ad nos vel ad Cancellarium Nostrum, ante Synodum, per litteras, tria nomina idonea pro unoquoque Consultore a Clero proponendo mittent.

Interim Sacerdotes dicent in Missa orationem de Spiritu Sancto, et enixis precibus Deum exoremus ut opus Synodi nostræ benedicat ita ut pro ejus majori gloria sit et pro bono divinæ nostræ religionis.

PATRITIUS AUGUSTINUS,
Archiepiscopus.

Datum Chicagiæ, in die festo Sancti Clementis, M. P. 1887.

PROŒMIUM.

Ecclesiæ Salvatoris sapientia necnon Sancti Spiritus instinctu suffultæ, quo melius divinum opus incolume servaretur, synodos provinciales et diœcesanas frequenter indicare bonum semper visum est.

Illustrissimus et Reverendissimus hujus diœceseos Archiepiscopus huic igitur divinæ prorsus sapientiæ, ut decet, fidens, et divini operis progressum, sub Deo, sacerdotum zelo accurate mensurari optime noscens, majorem Dei gloriam salutemque gregis sibi commissi certius quam synodum convocando, promoveri non posse arbitrabatur.

Hinc litteris die 23° Novembris datis synodum hujus diœceseos primam die 13° Decembris in Ecclesia Cathedrali Sanctissimi Nominis tenendam indicavit. Sacerdotes tum seculares tum regulares usque ad numerum ducentorum et viginti quatuor convenerunt.

Hora decima Archiepiscopus Pontificalibus vestitus Sacrosanctum Sacrificium obtulit, assistentibus Rev. Thoma Burke et Rev. Ferdinando Kalvelage, ministrantibus vero, Rev. J. M. Cartan et Rev. A. Bergeron. Quo peracto, precibusque consuetis Deo devote effusis, annuente Reverendissimo Præsule, Secretarius Synodi officialium nomina legit. Prima sessione ita incepta sacerdotes bini ac bini coram Archiepiscopo genuflectentes juramentum præscriptum præstiterunt.

Postea Archiepiscopus quamplurima de conciliis Ecclesiæ anteactis, quæ magna semper veneratione habita sunt, et quorum canones tum disciplinares tum morales Ecclesia tamquam monumenta sacra servat, effatus est.

Verbis quoque intimos animi sui sensus experimentibus indicavit solicitudinem Sanctissimi Domini Nostri Leonis XIII. Pont. Max pro prosperitate Ecclesiæ Statuum Fœderatorum, quæ, licet ætate vix unius sæculi, tam magna jam effecit et crescit in dies.

Revocavit etiam, grato cum animo, conventus illos memorabiles Archiepiscoporum Statuum Fœderatorum coram Beatissimo Patre Leone et Eminentissimis Ecclesiæ Principibus Romæ habitos, qui conventus suppeditarunt materiam Concilii Plenarii Baltimorensis III. ex cujus actibus decreta hujus synodi maxima ex parte desumpta sunt.

Subjunxit denique Synodum hanc robur contra seductiones et pericula, quibus ubique circumdati sunt, sacerdotibus esse suppleturam, bonosque mores et vitæ sanctitatem, modo meliori quo fieri potest promoturam.

Constitutiones Synodi tunc lectæ fuerunt. Ab hora vero prima post meridiem usque ad secundam cum dimidio intermissio habita est. Qua elapsa, decretorum iterum incepta fuit lectio, cui hora quinta impositus est finis.

Nomina Consultorum diœcesanorum, Rectorum Inamovibilium, Examinatorum Cleri, Decanorum seu Vicariorum Foraneorum tunc publicata fuerunt, et Commissiones Examinationis et Scholarum proclamatæ.

Omnibus sic expletis Archiepiscopus, verbis paternam benignitatem spirantibus, Cleri zelum et fervorem iterum atque iterum commendavit, Deo gratias agens sibique gratulans sacerdotum labores tempore præterito felici exitu fuisse coronatos. Exhortatus est sacerdotes ad Synodi decreta fideliter observanda, quo melius concordia, unanimitas pietasque inter pastores, ordo vero, charitas fraterna, sanctitas et edificatio inter oves haberentur.

Hymno decantato Ambrosiano Reverendissimus Archiepiscopus Synodi Patres voce propemodum cordis emotione deficiente cum solemni benedictione singulos in sua remisit.

Officiales Synodi.

Promotor:

Adm. Rev. P. J. CONWAY, V.G.

Secretarius:

Rev. M. J. FITZSIMMONS.

Procuratores Cleri:

Rev. E. J. DUNNE.

Rev. T. F. CASHMAN.

Magister Cæremoniarum:

Rev. P. J. AGNEW.

Cantores:

Adm. Rev. T. J. BUTLER, S.T.D.

Rev. P. J. BUTLER.

Lectores:

Rev. T. F. GALLIGAN.

Rev. W. DE LA PORTE.

CONSULTORES DIŒCESANI.

ADM. REV. P. J. CONWAY, V.G.

REV. T. BURKE,

REV. F. KALVELAGE,

ADM. REV. T. F. MANGAN,

REV. J. MOLITOR,

REV. J. MACKIN.

RECTORES INAMOVIBILES.

RECTOR	ECCLESIÆ	STI. COLUMBÆ,	Chicagiensis.
"	"	STI. PATRITII,	"
"	"	STÆ. BIRGITTÆ,	"
"	"	STI. ANTONII,	"
"	"	STI. JACOBI,	"
"	"	STI. JACOBI,	Rockfordensis.
"	"	IMM. CONCEPTIONIS,	Elginensis.
"	"	STI. JOSEPH,	Freeportensis.
"	"	IMM. CONCEPTIONIS,	Waukeganensis.
"	"	STÆ. MARIÆ,	Evanstonensis.

EXAMINATORES CLERI.

ADM. REV. T. J. BUTLER, S.T.D.

REV. E. W. GAVIN,

REV. C. VENN,

REV. T. P. HODNETT,

REV. M. J. DORNEY,

REV. GULIELMUS DE LA PORTE,

REV. T. F. CASHMAN,

REV. H. McGUIRE.

DECANI, SEU VICARII FORANEI.

ADM. REV. P. BEAUDOIN, C.S.V., Bourbonnaisensis,
Pro Comitatibus Kankakee, Grundy, Kendall, Lee et DeKalb.

ADM. REV. M. DONAHOE, Evanstonensis,
Pro Comitatibus Cook extra urbem, Lake et McHenry.

ADM. REV. T. F. MANGAN, Jolietensis,
Pro Comitatibus Will, Dupage, Kane et Boone.

ADM. REV. E. J. MURPHY, Rockfordensis,
Pro Comitatibus Winnebago, Ogle, Stephenson, Jo Daviess, Carroll et Whiteside.

PROCURATOR FISCALIS.

REV. E. J. DUNNE, Ecclesiæ Omnium Sanctorum.

DEFENSOR MATRIMONII.

REV. P. J. BUTLER, Ecclesiæ Imm. Conceptionis.

Pro Scholis.

COMMISSIO EXAMINATIONIS.

Adm. Rev. P. J. CONWAY, V.G.

COMMISSIO SCHOLARUM.

INTRA URBEM.

Pro Divisione Septentrionali:

Rev. P. J. BUTLER,
Adm. Rev. T. J. ABBOTT, C.M.
Rev. P. O'BRIEN.

Pro Divisione Meridionali:

Adm. Rev. T. J. BUTLER, S.T.D.
Rev. E. J. DUNNE,
Rev. H. McGUIRE,
Rev. JOS. M. CARTAN.

Pro Divisione Occidentali:

Rev. T. P. HODNETT,
Rev. T. F. GALLIGAN,
Rev. F. S. HENNEBERRY

PRO GERMANIS.

Rev. P. FISCHER,
Rev. A. J. THIELE,
Rev. M. W. BARTH.

PRO POLLACENSIBUS ET BOHEMIS.

Adm. Rev. V. BARZYNSKI, C.R.
Rev. J. RADZIEJEWSKI,
Rev. F. BOBAL.

COMMISSIO SCHOLARUM.

EXTRA URBEM.

Pro Comitatibus Cook, Dupage, Will, Kane et Boone:

REV. J. J. McGOVERN, S.T.D., Lockportensis.

REV. J. E. HOGAN, Lemontensis.

ADM. REV. T. F. MANGAN, Jolietensis.

Pro Comitatibus Winnebago, Ogle, Stephenson, Jo Daviess, Carroll, Whiteside et Lake:

REV. J. J. FLAHERTY, Rockfordensis.

REV. J. MACKIN, Elginensis.

REV. E. W. GAVIN, Waukeganensis.

PRO GERMANIS.

Pro Comitatibus Cook, Dupage, Lake, Will, Kankakee, Grundy, Kendall, Kane, McHenry, DeKalb et Boone:

REV. W. NETSTRAETER, Wilmettensis.

REV. J. WIEDERHOLD, Winfieldensis.

REV. A. WENKER, Napervillensis.

Pro Comitatibus ad Occidentem DeKalbensis et Boonensis:

REV. C. SCHNÜCKEL, Aurorensis.

REV. C. KALVELAGE, Freeportensis.

REV. P. HALBMAIER, Menomonensis.

PRO GALLICIS.

INTRA ET EXTRA URBEM.

ADM. REV. P. BEAUDOIN, C.S.V.

REV. P. PARADIS,

REV. A. L. BERGERON.

SYNODALES.

ADFUERUNT.

I.

E. Clero Seculari.

Adm. Rev. D. CONWAY, P. J., V.G.

Rev. D. Agnew, P. J.
" Antle, F. J.
" Backes, C.
" Bangan, H.
" Barth, M. W.
" Bay, F.
" Beineke, J.
" Bennett, J. J.
" Berard, Z. P.
" Bergeron, A. L.
" Biermann, P. L.
" Bobal, F.
" Bonafas, T. A.
" Bonfield, M.
" Bollmann, A. J.
" Brooks, H. J.
" Bruton, M. A.
" Bueter, A.
" Burke, T.
" Burke, T. A.
" Butler, P. J.
Adm. " Butler, T. J., S.T.D.
" Callaghan, J. F.
" Campbell, L. A.
" Carr, A.
" Carroll, J.
" Carroll, J. J.
" Cartan, J. M.

Rev. D. Cashman, T. F.
" Chouinard, F.
" Clancy, J. F.
" Croke, A.
" Croke, D.
" Cunningham, L. J.
" Darcy, J. J.
" Delaney, J. J.
" De la Porte, W.
" Dittmer, J.
" Dorney, M. J.
" Dowling, D. M. J.
" Duerr, C.
" Dunne, E. J.
" Dunne, J. M.
" Dunne, P. W.
" Dunne, R.
" Egan, D.
" Egan, P. A. L.
" Erhard, L. A.
" Erz, M. E.
" Evers, A.
" Fegers, H. M.
" Fischer, P.
" FitzSimmons, M. J.
" Flaherty, J. J.
" Flood, J. F.
" Foley, M.
" Foley, W. M.
" Foster, C. P.
" Gallagher, J. S.
" Galligan, T. F.
" Gavin, E. W.
" Genuit, J. W.
" Gill, P. D.
" Gillan, J.
" Goldschmidt, E. T.
" Goebbels, W.
" Gormuly, P.
" Goulet, A.
" Goulet, A.
" Gray, E. A.

Rev. D. Green, J. J.
" Green, J. P.
" Griffen, E. M.
" Grogan, J. H.
" Grünnebaum, O.
" Guilfoyle, P.
" Hackett, W.
" Hagan, J. M.
" Halbmaier, P.
" Hayes, D.
" Heldmann, G.
" Hemlock, J.
" Henneberry, F. S.
" Hishen, D. D.
" Hitchcock, N. J.
" Hodnett, T. P.
" Hogan, J. E.
" Horgan, M.
" Huth, C. J.
" Hynes, J. A.
" Kalvelage, F.
" Kalvelage, C.
" Kanzleiter, J. B.
" Kearns, T. A.
" Kearny, T.
" Kelly, E. A.
" Kersten, G. S.
" Kilkenny, J.
" Kozlowski, C.
" Labrie, A.
" Lesage, J. C.
" Leyden, T. F.
" Lightner, L., S.T.D.
" Lonergan, A. P.
" Mackin, J.
" Mackin, M. T.
" Madden, J. C.
" Mahony, S. A.
Adm. " Mangan, T. F.
" Machdzicki, L.
" McDonnell, P. J.
" McDonnell, S.

Rev. D. McGavick, A. J.
" McGovern, J. J., S.T.D.
" McGrath, D. E.
" McGrath, J.
" McLaughlin, M.
" McGuire, D. F.
" McGuire, H.
" McGuire, P.
" McGuire, R. H.
" McMahon, J.
" McMahon, P.
" McNamee, W. J.
" McShane, H. O.
" Meehen, P.
" Mehring, H.
" Meller, J.
" Mevel, J.
" Moezygemba, L.
" Moisant, J.
" Molitor, J.
" Molony, S.
" Mooney, N. J.
" Muldoon, P.
Adm. " Murphy, E. A.
" Murray, B. P.
" Netstraeter, W.
" O'Brien, M.
" O'Brien, P.
" O'Callaghan, C. J., S.T.D.
" O'Connor, P.
" O'Gara, T. F.
" O'Neil, P. M.
" O'Reilly, E.
" Orth, M.
" O'Sullivan, M.
" Ouimet, T.
" Paradis, P.
" Perry, F. N.
" Pyplatz, M.
" Quigley, T.
" Quinn, H.
" Radziejewski, J.

Rev. D. Rathz, G.
" Riordan, D. J.
" Roles, J. P.
" Royer, A.
" Rüterschaff, J. F.
" Schaefers, J.
" Schnückel, C.
" Schutte, B.
" Shannahan, J.
" Sixt, T. A.
" Slowiskowski, E.
" Smyth, H. P.
" Spelman, D.
" Stack, M.
" Sullivan, J.
" Tighe, D. A.
" Tinan, P. J.
" Thiele, A. J.
" Thiele, D. M.
" Van de Laar, M.
" Venn, C.
" Waldron, J.
" Walsh, J.
" Weber, E.
" Welby, M.
" Wenker, A.
" Westarp, B.
" Wiederhold, J.
" Zaleski, V.

II.

E. Clero Regulari.

Adm. Rev. D. Abbott, T. J., C.M.
" Ahlert, A., C.SS.R.
" Albers, F., O.S.F.
Adm. " Barzynski, V., C.R.
Adm. " Bauscheid, C., O.S.F.
Adm. " Beaudoin, P., C.S.V.
" Behrens, P., O.S.B.
" Breitkopf, T., C.R.

	Rev. D.	Bronsgeest, H., S.J.
	"	Cichocki, H., C.R.
	"	Crevier, H., O.S.
	"	Dolweck, B., O.S.B.
Adm.	"	Englbrecht, C., O.S.B.
Adm.	"	Fournier, C., C.S.V.
	"	Forstmann, S., O.S.F.
	"	Friedrich, P., O.S.B.
	"	Giesen, H., C.SS.R.
	"	Grüner, M., C.SS.R.
	"	Hahn, C., C.SS.R.
	"	Havolic, P. V., O.S.B.
Adm.	"	Higgins, E. A., S.J.
	"	Judge, P. V., C.M.
	"	Kelly, E. D., S. J.
	"	Kocarnik, W., O.S.B.
	"	Kohlbeck, P. V., O.S.B.
	"	Leimgruber, M., C.SS.R.
Adm.	"	Luette, F., C.SS.R.
	"	McCann, M., O.S.
	"	More, J., C.M.
	"	Moretti, S., O.S.
	"	Niemueller, E., O.S.F.
	"	Niermann, J., C.SS.R.
	"	Rhode, N., O.S.F.
	"	Schagemann, J. H., C.SS.R.
Adm.	"	Schloesser, K., O.S.F.
	"	Singer, P. S., O.S.B.
	"	Weber, H., C.SS.R.
	"	Weyenberg, A., O.S.
	"	Wirtner, B., O.S.B.
	"	Wittmann, P. J., O.S.B.

LEGITIME ABFUERUNT.

I.

E. Clero Seculari.

Rev. D. Bally, W.
" Baranowski, S.
" Barrett, S., M.A.
" Berube, J. F.
" Cote, J.
" Coughlin, J. A.
" Deiters, J.
Adm. " Donahoe, M.
" Farrelly, P.
" Flannagan, P. M.
" Gavin, C., S.T.D.
" Hennesy, W. S.
" Hickey, P. J.
" Legris, G.
" Meehan, L. M.
" Molony, J.
" O'Sullivan, T.
" Toomey, D. B.
" Treacy, J.
" Zilla, J.

II.

E. Clero Regulari.

Rev. D. Burgmeister, R., O.S.B.
" Huber, N., O.S.B.
Adm. " Jaeger, N., O.S.B.
" Marsile, M. J., C.S.V.
Adm. " Morini, A., O.S.
" Riss, B., O.S.B.

CONSTITUTIONES.

TITULUS I.

1. Decreta Concilii Plenarii Baltimorensis III., a Sancta Sede approbata, promulgamus, atque ab omnibus in Nostra Diœcesi, quorum interest, servari jubemus.

2. Decreta pariter in Concilio Baltimorensi Plenario II. lata, quatenus iisdem postea legitime derogatum non fuerit, denuo approbamus et confirmamus.

3. Ne vero facilius in oblivionem veniant salutares istæ leges, enixe hortamur Sacerdotes Nostros omnes ut Conciliorum istorum decreta præ manibus habeant, quæ frequenter una cum hujus Synodi Constitutionibus perlegantur, aut saltem, occasione data, consulantur.

TITULUS II.

DE FIDE CATHOLICA.

4. Quum "sine fide impossibile sit placere Deo" (Hebr. xi. 6), animarum Rectores, populum sibi creditum Fidei Catholicæ pretium inæstimabile doceant, ejusque sancta principia omnium cordibus, præsertim juventutis, magis magisque pro viribus imprimant. (Conc. Plen. II. 13; III. 196.)*

* Ubi citatur "Conc. Plen." intelligentur Concilia Plenaria Baltimorensia vel II. vel III. juxta numeros immediate sequentes.

5. Licet ratio et revelatio nullatenus sibi invicem contradicant, et inter utramque harmonia in multis Fidei veritatibus perfectissima ostendi possit, in aliis tamen hæc harmonia finitæ hominis rationi conspicua non est. Hinc fideles sæpe ad simplicitatem Fidei provocandi sunt, qua ratio in iis quæ comprehendere non valet, auctoritati Divinæ, falli aut fallere nesciæ, se penitus submittit. Quod imprimis præstetur circa SS. Trinitatis mysterium, æternitatem pœnarum inferni, aliaque dogmata rationi impervia, quæ frequentius nostra ætate in dubium vocantur. (Conc. Plen. II. tit. i. capp. iv. v.; III. 4.)

6. Doceant insuper Sacerdotes de fide esse extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, eosque certam sibi damnationem acquirere, qui propria culpa extra eam ex hac vita decedunt. (Conc. Plen. II. 5; III. 5.)

7. Hinc Indifferentismum in re religiosa, seu pravam illam opinionem quæ tenet qualibet fidei professione æternam posse animæ salutem comparari, modo mores ad recti honestique normam exigantur, in suis principiis persequi non cessent, et, monentes veram honestatem etiam requirere ut suus Deo verus cultus tribuatur, tamquam errorem exitiosissimum a populo fideli propellere curent. (Conc. Plen. II. 28 seqq.; III. 194 seqq.)

8. Meminerint idcirco Confessarii et animarum curatores suos edocere quam malum, quamque periculosum sit conciones hæreticorum aut schismaticorum audire, vel eorum exercitiis interesse, quocumque id fiat prætextu. (Conc. Plen. III. 249.)

9. Fideles pariter, ac præsertim patresfamilias, sæpe moneantur ut Biblia ab acatholicis vitiata, et libros

religioni aut bonis moribus injuriosos, atque ephemerides improbas, procul a se suisque domibus arceant, sed libros, potius bonos, ephemeridesque Catholicas emant atque disseminent. Ad hoc valde utiliter parochiales bibliothecæ a Rectoribus missionum constituentur. (Conc. Plen. II. nn. 16, 495, 498, 505; III. tit. vii. cap. iv.)

10. Quum, Ecclesiæ lege, scripta, ad religionem et Dei cultum spectantia, sine Ordinarii approbatione prælo committi vetentur, moneantur illi, quorum interest, auctores nempe librorum et typographi in hac Diœcesi libros edentes, ut licentiam Nostram in casibus occurrentibus prius impetrent. Optamus præterea ut Clerici nullum prorsus opus, etiam de religione non tractans, suo nomine edant, quin prius consensum Nostrum exquirant. (Conc. Plen. II. 502 seqq.; III. 220.)

11. Quantum poterunt, animarum Rectores a Magnetismi abusibus et Spiritismi atque cognatorum errorum periculis Dominicum gregem defendant. Pari modo præmuniant eum contra seductiones falsarum doctrinarum sub nomine Socialismi, Communismi et Anarchismi a S. Sede damnatarum. (Conc. Plen. III. 10.)

12. Moneantur fideles societatibus vere secretis, aut quomodocumque illicitis, omnino abstinere atque hujusmodi vinculum abrumpere nolentibus Ecclesiæ Sacramenta et ecclesiastica sepultura denegentur. Sacerdotes vero numquam temere societates quasvis declarent secretas et damnatas, et nonnisi post consultum Ordinarium quidquam decernant de cœtibus, quorum honestas aut liceitas aliqua de causa in dubium vocatur. (Conc. Plen. II. tit. xii.; III. tit. viii. cap. iii. § i.)

13. Summam venerationem, obedientiam atque devotionem erga Sanctam Sedem Romanam, infallibile veri-

tatis oraculum exhibeant Sacerdotes, suisque inculcent; et, quum, miseris hisce temporibus, temporales Ecclesiæ possessiones detineant injusti invasores, ipsumque Christi Vicarium velut captivum habeant, moneantur fideles ut liberaliter spoliato Pontifici orationum et subsidiorum tributa persolvant. (Conc. Plen. II. 48.)

TITULUS III.

DE DOCTRINA ET PRÆDICATIONE VERBI.

14. Quum fides oriatur "ex auditu, auditus autem per verbum Christi" (Rom. x. 17), curam animarum habentes plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, opportune verbis salutaribus pascere tenentur. Ideo præcipimus ut singulis Dominicis et Festis solemnibus, etiam tempore æstivo, in omnibus Missis quibus adstant fideles, brevis aliqua fiat instructio, quæ, cum prælectione Evangelii in lingua vernacula et annuntiationibus, saltem ad duodecimam horæ partem, sed non ultra quadrantem, protrahatur. In solemni vero vel ultima Missa concio fiat per dimidiam circiter horam. (Conc. Plen. III. 216.)

15. Sermo concionatoris, ut volunt Patres Tridentini, sit facilis, brevis, purus et simplex. Ideo curabunt Sacerdotes ut numquam ad concionem prodeant imparati, nisi inopinata urgeat necessitas. (Conc. Plen. II. 136-138, 144; III. 215.)

16. Pro ea, quæ domum Dei decet, sanctitudine, Sacerdotibus etiam præcipimus ut neminem unquam e suggestu vel ex altaris loco notent. Ab imprecationi-

bus et maledictis omnino abstinentes, vitia quidem insectentur, sed numquam dent occasionem suspicandi se personas, non peccata, oppugnare. (Conc. Plen. II. 140, 290; III. 215.)

17. In doctrina Catholica proponenda sint cauti ac diligentes, non sua placita, sed Christi veritatem et Ecclesiæ instituta tradentes. In erroribus hæreticorum impugnandis acerbitate abstineant, et dum fortiter in re, suaviter semper in modo procedant. (Conc. Plen. II. 22, 141, 131; III. 215.)

18. Si quæstiones pecuniariæ ex cathedra seu e suggestu tractandæ sint, id rarius et considerate fiat; numquam ibi suggilletur ratio agendi rectorum præcedentium, neque negotia ecclesiæ alienæ pro argumento sermonis assumantur. (Conc. Plen. II. 140, 142, 158; III. 215.)

19. Sacerdotes in concionibus populum instruere atque erudire imprimis satagant, de iis præsertim quæ scitu necessaria sunt ad salutem, et quæ ad officia vitæ Christianæ præcipua spectant. In tradendis hujusmodi instructionibus optime quis insistet vestigiis Catechismi Romani. (Conc. Plen. II. 132, 133; III. 216.)

20. Scripturæ Sacræ loca, *Anglice* laudanda aut recitanda, fideliter depromantur ex versione Duacensi. (Conc. Plen. II. 16.)

21. Nemo, sacerdotali dignitate carens, in quavis ecclesia Nostræ Diœcesis concionari absque Nostra prævia expressa licentia præsumat. Neque prædicare permittantur Sacerdotes extranei, qui in propria diœcesi facultatibus non sunt donati, aut a prædicando ibi fuerunt inhibiti. (Cfr. Conc. Plen. II. 128.)

TITULUS IV.

DE INSTITUTIONE JUVENTUTIS.

22. Quum Sedes Apostolica scholas Catholicas maxime opportunas, imo quidem necessarias sæpe declaraverit, præcepit Concilium Baltimorense III., superiorum Conciliorum viam premens, ut infra duos annos prope unamquamque ecclesiam schola parochialis, ubi nondum existeret, erigeretur. Huic legi volumus ut generose obtemperent omnes hujus Diœcesis Rectores. De impossibilitate scholam erigendi vel sustentandi Nostrum erit ferre judicium. (Conc. Plen. II. tit. ix.; III. 199.)

23. In votis maxime habemus ut scholæ Nostræ parochiales a Fratribus vel Sororibus congregationum religiosarum ad id muneris institutis dirigantur. Si autem laicos magistros adhibere necesse fuerit, tales ad hoc officium seligantur, qui pupillos suos non ad litteras tantum, sed ad vitæ Christianæ quoque cognitionem et praxim doctrina et exemplo formare sciant. (Conc. Plen. II. tit. ix.; III. tit. vi.)

24. Commonefiant fideles sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura opes scholis Catholicis providerint. Missiones ideo vel parœcias quæ Rectorem in erigenda vel sustentanda schola adjuvare culpabiliter neglexerint, auctoritate Nostra, efficacioribus quibus poterimus modis, compellemus ad necessariam in re operam navandam. (Conc. Plen. III. 199, 202.)

25. Omnes parentes Catholici prolem suam ad scholas parochiales mittere tenentur, nisi vel domi vel in aliis scholis Catholicis Christianæ filiorum suorum educationi, quantum necesse est, consulant, aut ob causam suffi-

cientem, ab Archiepiscopo sive in communi sive in individuo approbatam, eos ad alias scholas mittere ipsis liceat. (Conc. Plen. III. n. 199.)

26. Rectoribus missionum simul curandum est ut scholæ suæ finem, ad quem erectæ sunt, reapse attingant, nullusque possit eis objici insufficientiæ aut inscitiæ prætextus. Laborent ergo ut a parentibus in æstimatione habeantur, et ut pueri cum affectu et profectu eas frequentent; sæpe, semel saltem in hebdomada, eas visitent, interrogantes ac docentes pueros, et magistris animum addentes. (Conc. Plen. III. 201.)

27. Ubique per Diœcesim, sed potissimum in missionibus, hucusque scholas Catholicas non habentibus, scholæ instituantur Dominicales, in quibus a probatis magistris sub directione Rectoris vel ejus auxiliariorum pueri principia fidei et vitæ Christianæ regulas doceantur. In eis prœsertim satagant Sacerdotes ut pueri puellæque, post primam suam communionem, per duos subsequentes annos Catholicam doctrinam suaque officia Christiana plenius ediscant. (Conc. Plen. II. 435, 436; III. 218.)

28. Sed etiam per se Sacerdotes ipsi pro sua parte dent operam institutioni juventutis in doctrina Christiana, nec putent sibi licere quæ muneris sui sunt negligere, rejecto in alios onere juvenes aliosque rudes edocendi. Quapropter Dominicis saltem diebus Catechesim puerorum et puellarum, Rectores præsertim, summa diligentia instituant. (Conc. Plen. II. 113, 115, 128, 435, 438; III. 201, 217.)

29. Nihil non tentent Rectores quo pueros Catholicos ad Catechesim et scholam Dominicalem statuto tempore trahant; parentes etiam, omnibus quibus poterunt mo-

dis, inducant ut partes suas hac in re non negligant. (Conc. Plen. II. 437; III. 218.)

30. In omnibus scholis et catechesibus adhibeatur Catechismus, jussu Concilii Plenarii III. præparatus, sive in lingua originali Anglica, sive in versionibus ab ecclesiastica auctoritate rite approbatis. (Conc. Plen. III. 219.)

31. Quater saltem in anno, nimirum, si fieri possit, circa Quatuor Temporum ferias, in unum colligantur pueri ac puellæ, qui nondum Sanctissimæ Eucharistiæ participes facti sunt, et postquam per aliquot dies in doctrina Christiana instructi fuerint, deinde ad confessionem vocentur adducanturque, eo modo ut accedentes benigne recipi, paterne audiri et plurimum juvari valeant. (Conc. Plen. II. 292, 442.)

32. Pariter, qui prima vice ad Sacram Mensam accessuri sunt, diligenter ab ipso Rectore instruantur et præparentur. Ad hoc per duos annos ante primam communionem omnes pueri et puellæ ad scholas parochiales vel alias scholas Catholicas mitterentur. (Conc. Plen. II. 442; III. 218.)

TITULUS V.

DE ZELO ANIMARUM.

33. Qualis fuit zelus Christi in salutem animarum, talis sit zelus Sacerdotum. Sit itaque hic zelus purus et omnis humanæ sordis expers; prudens et secundum scientiam; patiens et perseverans. Peccatores et erran-

tes convertat, bonos confirmet, pueros rudesque instituat, miseros sublevet, scandala de medio tollat, vitia latentia reprimat et evellat, pietatem promoveat. (Conc. Plen. II. 452 seq.)

34. Cum immania scandala ex nimia potatione apud nostrates oriantur, hortamur Sacerdotes, et per viscera Jesu Christi obsecramus, ut omne studium in ebrietatis vitio eliminando ponant. Hunc in finem sœpe potuum inebriantium mercatores moneant ut neque ebriosis neque junioribus potum præbeant, atque ut cauponas suas die Dominico clausas servent; inducant quos potuerint fideles ut a potibus inebriantibus etiam totaliter abstineant, vel soli, vel inita cum aliis societate, quæ spiritu Catholico regatur atque precum et Sacramentorum virtute sociis vires necessarias procuret; omnibus et verbo et exemplo auctores sint ut in hac periculosa re numquam excedant. (Conc. Plen. II. 470; III. 260-263.)

35. A theatris et scenicis ludis, iis nempe qui mali aut periculi pleni esse noscùntur, fideles prudenter avertant. (Conc. Plen. II. 471.)

36. Choreas immodestas, quæ quotidie magis magisque frequentantur, insectentur Rectores et Confessarii, easque prorsus damnent fidelibusque prohibeant. (Conc. Plen. II. 472.)

37. Quum graves nonnumquam oriantur abusus ex festivitatibus, nomine religionis institutis, quæ vulgo *Picnics*, *Excursions* et simili nomine veniunt, ita in posterum ubique sunt ab ipsis Rectoribus ordinandæ ut ansam peccandi nullo modo præbeant. Ideo numquam haberi poterunt absque permissione Ordinarii, pro singulis vicibus obtinenda; diligenterque notandum

conventus prædictos stricte prohiberi nocturno aut vespertino tempore, atque Dominicis, Festis esurialibusve diebus, nec in iis permitti posse usum potuum inebriantium, vino et cerevisia inclusis. Eædem restrictiones, si tempus vespertinum excipiatur, observandæ sunt pro avocamentis quæ *Fairs* appellantur. Insuper in hisce numquam tolerari poterunt choreæ quæcumque. (Conc. Plen. II. 396; III. 290.)

38. Praxes devotionis ab Ecclesia probatas, maxime quæ indulgentiis ditatæ fuerint, quæque faciliores, et ad genuinam pietatem fovendam aptiores sunt, Sacerdotes populo commendare non omittant. Inter eas, ut temporibus nostris maxime accommodatas, magnopere commendamus devotionem XL. Horarum, cultum SS. Cordis Jesu, et cum eo connexam venerationem Immaculati Cordis Mariæ. (Conc. Plen. II. 477-482.)

39. Sanctos cum Christo regnantes populus venerari et invocare doceatur, imprimis Beatissimam Virginem Mariam sine labe conceptam, in Patronam Americæ Fœderatæ Statuum electam, et Patronas uniuscujusque ecclesiæ. (Conc. Plen. II. 384.)

40. Pias quoque Sodalitates seu Confraternitates jam probatas et ex indulgentiarum thesauro ditatas, utpote nostri præsertim sæculi malis corrigendis aptissimas, Rectores fovere oportet. Inter eas eminent piissimum Apostolatus Orationis opus, Societas S. Vincentii a Paulo, Societates Propagationis Fidei et Sanctæ Infantiæ, atque Societates utriusque sexus in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ. Ne autem unquam Confraternitates vel Sodalitates istæ indulgentiarum gratiis priventur, enixe curandum est ut in earum erectione

et directione fideliter serventur omnes ab Ecclesia præscriptæ conditiones. (Conc. Plen. II. 478 ; III. tit. viii.)

41. Quum experientia comperiatur saluberrimos ex Sacris Missionibus fructus provenire, Rectoribus maxime commendamus ut, saltem intra tres quatuorve annos, exercitiorum spiritualium beneficia suis ovibus procurent. (Conc. Plen. II. 473-476.)

42. Quoniam gregi suo inculcare debent gravissimam qua tenentur omnes Christifideles obligationem etiam diebus Festis de præcepto Missam audiendi, præcipimus omnibus curam animarum habentibus, ut ea Festa Dominica præcedenti populo annuntiare non omittant. Similiter proclament jejunium servandum tempore Quadragesimali, Quatuor Temporibus et vigiliis quorumdam festorum. Fidelibus quoque nonnumquam, ut signum pœnitentiæ et ut Fidei professionem in memoriam revocent abstinentiam a carnibus feriis sextis per annum observandam.

43. Dies Dominica fidelibus sincere observanda frequenter commendetur. In ea non tantum ab operibus servilibus abstinere moneantur, atque Missam sub gravi præceptam audire, sed et devotionibus vacare, atque omnia prohibita, imo et periculosa avocamenta devitare. Ferventi præsertim zelo inducantur ut hoc sancto die generose omittant cauponarum commercium et frequentationem, ex quibus pro nostratibus tot mala scaturiunt. (Conc. Plen. III. 113.)

44. Præ omnibus vero religionis et pietatis subsidiis atque peccati remediis, frequens et pia Sacramentorum susceptio atque assiduitas sacris Divini Cultus exercitiis iterum iterumque populo commendetur. (Conc. Plen. II. 469, 470.)

45. Ad conversationem et progressum religionis in gregibus suis, non desinant etiam Sacerdotes fidelibus prædicare utilitatem, imo necessitatem vitæ istius familiæ, qua parentes simul cum liberis exercitiis devotionis incumbunt et recreationibus licitis indulgent, suisque invigilant ne contaminentur lubrica illa libertate et independentia, qua tot juvenes utriusque sexus, sibi relicti, morum innocentiam una cum fidei spiritu tam cito amittunt.

TITULUS VI.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

46. Ipsis Apostolis dictum est a Christo: "Vos estis sal terræ; quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus." Meminerint proinde Sacerdotes, si infatuati fuerint et evanuerint, se cum his quos salierint, pedibus incedentium proterendos fore. Vitam itaque et mores ita componant, ut gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis, Tridentino monente, maxima forent, effugientes. (Conc. Plen. II. 147, 169.)

47. Oportet clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Et sane ipse habitus, ut notant Patres Concilii Baltimorensis II., Clericis perpetuo in mentem revocat quod sponte suscepere vitæ sanctioris institutum; et plurimas in vitia labendi occasiones arcet amovetque. Hinc stricte jubemus ut

Sacerdotes Nostri, domi agentes vel in templo, veste talari semper utantur. Lineam vittam de more collo circumductam, sive, ut aiunt, Collare Romanum, semper gerant et presbyteri et ipsi seminaristæ, neque extra domum unquam dimittant. Cum autem foras prodeunt, præter hoc collare, etiam alias vestes ejus coloris ejusque formæ gerant, tam regulares quam sæculares, quæ ecclesiasticam decent gravitatem et sanctitatem. (Conc. Plen. II. 148, 149; III. 77.)

48. Comam laicorum more ne nutriant, et barbam absque permissione Ordinarii non gestent. (Conc. Plen. II. n. 151.)

49. Gravissimis sub pœnis edicimus ne cursibus equorum, publicis theatris, spectaculis pariter quæ vocantur *opera*, aliisque istiusmodi generis oblectamentis, etiam extra limites hujus Diœcesis, Clerici Nostri unquam intersint. Multo minus sponsiones faciant, occasione ludorum equestrium, pignoribusque cum aliis contendant, uti fit a liberioris vitæ hominibus, quippe quorum nihil vel absque magno periculo vel absque aliorum scandalo fieri potest. (Conc. Plen. II. n. 153, 154; III. 79.)

50. Medicinam et chirurgiam nec lucri gratia, nec charitatis specie, exerceant. Arma non ferant. (Conc. Plen. II. n. 153; III. n. 82.)

51. Secundum veteres canones, vetamus ne Clerici rerum bonorumve quorumlibet, aut pecuniæ mercaturam faciant; ne quæstuosas suo nomine vel sub alieni nominis involucro negotiationes exerceant; ne aliena prædia lucri causa conducant; ne pro aliis fide jubeant; ne aliorum in negotiis procuratores, inconsulto Archiepiscopo, fiant; ne cujusvis curam ac tutelam, præterquam

suorum, nisi Ordinario consentiente, suscipiant. Nolumus etiam, propter magna inde oriunda mala, ut Sacerdotes, ne sub prætextu quidem quod lucrum, ex mutuo perceptum, in ecclesiæ bonum sit cessurum, præterquam ex Archiepiscopi venia in scriptis habita, fidelium pecunias in depositum accipiant. (Conc. Plen. II. nn. 157, 159; III. 82, 279.)

52. Ubi cum homine etiam sæculari ac de rebus temporalibus agitur, Clerici tribunalia civilia non adeant, nisi res aliter componi nequeat, et de pecunia ipsi ecclesiæ debita ad jus non recurrant nisi prius in scriptis obtenta Archiepiscopi licentia. Districte autem, et sub pœna quidem suspensionis, prohibemus quominus Sacerdos contra ecclesiasticam personam litem civilem, etiam de re temporali, intentet absque permissione Nostra, aut hujusmodi actionem laicæ personæ assignet. Quod si ecclesiastica vel religiosa persona aliam personam ecclesiasticam vel religiosam coram tribunali civili temere citaverit de re juris stricte ecclesiastici, noverit se in censuras a jure latas incidere. Excommunicatio autem, Romano Pontifici specialiter reservata, ipso facto incurri sciatur ab iis qui directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ impediunt. (Conc. Plen. II. nn. 155, 156; III. 84; S. Cong. de Prop. Fide, 6ª Sept. 1886.)

53. Modesta mensa victuque frugali utentes, numquam in re potus aut cibi excedant, sed vinum sibi temperent, et se vino. (Conc. Plen. II. n. 161; III. 80.)

54. Excepta necessitatis causa, quæ maxime in itinere existere solet, Clericis omnino interdicitur aditus et usus cauponarum, inter quas istæ etiam intelligendæ

sunt, in quibus cerevisia præcipue venalis præbetur. (Conc. Plen. II. n. 162; III. 80.)

55. Cum vero præclarissimum Ecclesiæ decus in sacerdotalium morum integritate reperiatur, enixe cavendum ne vel specie mali obscuretur hic splendor. (Conc. Plen. II. n. 163; III. 81.)

56. Meminerint imprimis Presbyteri a canonibus prohiberi quominus ullæ mulieres in eadem secum domo commorare permittantur, nisi vel propinquior cognatio sufficiat ad omnem suspicionem arcendam, vel alioquin earum ætas maturior, vita illibata et fama integerrima omne periculum et omnem detractionis occasionem amoveant. Juxta has itaque regulas seligant ancillas, quibus domus ac rei familiaris cura est committenda; et caveant insuper ne ullo unquam modo, sive directo, sive indirecto, sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiæ administrandis istæ se immisceant. (Conc. Plen. II. 164; III. 81.)

57. Prohibemus proinde ne Sacerdotes in domibus suis commorationem præbeant scholarum institutricibus, aut organistis, aut cantatricibus, aliisve feminis non consanguineis. (Conc. Plen. II. 164; III. 81.)

58. Quod si Rector habuerit auxiliarium, volumus ut consanguineæ vel affines juniores nullæ in domo ejus habitare permittantur, nisi de Nostro consensu. Præterea numquam retineri poterunt consanguineorum aut affinium familiæ. (Conc. Plen. III. n. 81.)

59. Otium et desidiam, quasi pestem, Clerici omnino fugiant. Fructuose utantur tempore, Sanguine pretioso Christi empto, illudque non in legendis ephemeridibus aut nugatoriis libellis inutiliter terant, sed diligenter impendant, quod ex ministerii laboribus superest, studio

utili et maxime rerum ecclesiasticarum. (Conc. Plen. II. n. 167; III. 76.)

60. Pro junioribus præterea Sacerdotibus, usque ad quintum ab ordinatione completum annum, quotannis instituentur examina in scriptis, quorum materia opportune indicabitur. Qui in eis, uti par est, non satisfecerit quinque annis elapsis, tot iteratis examinibus subjicietur, quot nulla vel insufficientia ab examinatoribus fuerint declarata. (Conc. Plen. III. nn. 186-188.)

TITULUS VII.

DE RECTORIBUS ET EORUM ADJUTORIBUS.

61. Quum Ecclesiæ legibus bonoque animarum regimini repugnet pluribus simul ex æquo competere rectoralem potestatem, declaramus ecclesiæ cujusque seu congregationis administrationem soli a Nobis designato competere Rectori, neque aliis Sacerdotibus, ei in ministerio adjunctis, licere quidquid aggredi contra ejus voluntatem. Meminerint ergo auxiliarii Presbyteri Rectorem in cura animarum præesse ac dirigere, officii vero sui esse eidem unitis studiis cooperari. Proinde in omnibus, quæ ad regimen missionis, ad ordinem domesticum et residendi munus spectant, reverentia et obedientia erga eum obstringuntur. Quod si autument se a Rectore in quibusdam æquo gravius tractari, pro levamine ad Archiepiscopum recurrant. (Conc. Plen. II. 111, 112.)

62. Ipsi vero Rectores erga auxiliarios suos benigni patris partes agant; normam vitæ sacerdotalis ipsi præbentes, paternis suis admonitionibus eos in ministerii

labore dirigant; zelum et exemplo et verbo excitent, atque prudenti experientia moderentur, et sic in omnibus adjutorum operam lubentissimam sibi procurent.

63. Prohibemus, sub gravis peccati reatu, ne quisquam Sacerdos alienos subditos, absque proprii Rectoris consensu aut Nostra venia, in Matrimonium conjungat vel ad Baptismum admittat, præterquam vitæ periclitantes. Oblationes consuetæ quæ forte vetitæ administrationis occasione receptæ fuerint, titulo justitiæ Rectori proprio semper erunt restituendæ. (Conc. Plen. II. n. 117.)

64. Concilium Tridentinum omnes, quibus animarum cura commissa est, ad residentiam stricte obligari declarat. Hac a lege utique haudquaquam exempti sunt Rectores missionum eorumque adjutores, cum nullum tempus certo provideri queat quo alicui fidelium presbyteri ministerium futurum non sit necessarium. Quare officio suo minime funguntur qui fidelibus diebus dumtaxat Sabbati et Dominicæ ministrant, per alios vero dies deserunt. Porro residentia insuper requiritur non materialis solum, sed vere pro bono gregis laboriosa. Ideo decernimus in posterum auxiliariis licitum non fore extra rectoralem domum pernoctare, nisi de consensu Rectoris, habito vel præsumpto; ipsis vero Rectoribus non amplius permitti, ut absque consensu Ordinarii, præterquam in inopinato necessitatis casu, Dominicis aut Festis diebus absint a missione sua, vel ut frequenter, nisi ad unum alterumve diem per ipsam hebdomadam, ab ea discedant. Tumque etiam semper curabunt ut aliquis Sacerdos præsto sit, qui Sacramenta subito egentibus ministret.

65. Residentiæ laboriosæ refragatur abusus, quo Sacerdotes, completa vice hebdomadæ suæ, immunes se habent a laboribus ministerii, quasi hisce otii intervallis non oporteret casibus repentinis providere, infirmos visitare, aut iis qui auxilio, consilio vel instructione indigent etiam tunc inservire. Conscientiæ Rectorum imponimus ut hunc negligentiæ et otiositatis fontem, ubi adhuc existit, quamprimum exstinguant.

66. Omnis Sacerdos, qui pro hac Diœcesi ordinatus fuerit, aut in eamdem incorporatus, sese Ordinario subjicere tenetur usquedum canonice dimissus fuerit, et, nisi rectoratum inamovibilem adeptus sit, cuilibet missioni vacare ipsi ab Ordinario designatæ. Incorporari autem declaramus quemlibet ex aliena Diœcesi advenientem, statim ac dimissoriales proprii ejus Episcopi litteræ a Nobis in perpetuum vel formaliter vel præsumptive fuerint acceptatæ. (Conc. Plen. II. 108, 109; III. tit. ii. § 2.)

67. Licet parochias proprie dictas adhuc non expediat instituere, distincti tamen in hac Diœcesi habentur districtus vel cœtus, parochiarum instar, descriptis ab Ordinario limitibus, intra quos Sacerdotes vel ut inamovibiles vel ut inamovibiles Rectores seu quasi-parochi officia sua exerceant. (Conc. Plen. II. 123-125; III. 32.)

68. Quamvis itaque Rectores, quibus privilegium inamovibilitatis, secundum regulas Concilii Plenarii III., a Nobis concessum non fuerit, de jure, ad nutum Episcopi, ut aiunt, a sua missione removeri possint, mens Nostra est eos numquam munere suo spoliare vel invitos alio transferre, absque gravi omnino causa. (Conc. Plen. II. n. 125 seqq.; III. n. 32.)

69. Vehementer Rectores Nostros omnes monemus numquam eis licitum esse censuras auctoritate propria sive ferre, sive imo comminari.

70. Suspensionis pœna irretiendum fore declaramus quemvis Clericum aliquatenus faventem æddituis aliisve, qui jus in Rectoribus designandis vel rejiciendis sibi usurpare attentarent, aut aliis modis auctoritatis Episcopalis exercitium pravis molitionibus impedire præsumerent. (Conc. Plen. II. n. 185 ; III. 285.)

71. Salarium suum, qualecumque eis constitutum fuerit, Sacerdotes ex ipsa congregatione seu missione quærere seu colligere debent, id non exigere ab Episcopo, qui nulla ratione tenetur ejus defectum supplere, si qua de causa vel nullum vel debito minus acceptum fuerit. (Conc. Plen. III. n. 273.)

72. Volumus ut nullo unquam in casu salarium sive Rectoris sive adjutorum de anno in annum sinatur in cumulum crescere atque inter debita ecclesiæ recenseri. Singulo proinde anno juxta statutam summam accipiatur ; alioquin ii, qui pecuniam ea ratione sibi debitam infra annum a termino quo solvenda erat, percipere omiserint, aut saltem non exegerint per scriptum ab Ordinario, probatum eo ipso censebuntur juri suo renuntiasse et pecuniam sibi debitam ecclesiæ donasse. (Conc. Plen. III. n. 281.)

73. Pecuniæ, occasione administrationis Baptismi et Matrimonii perceptæ, cedunt Rectori, qui domus expensas ferre et adjutoribus suis congruam sustentationem suppetere tenebitur.

74. Sciant Rectores ad reditus ecclesiæ præsertim pertinere quæ proveniunt ex collectis infra Officia Divina, ex locatione scamnorum ecclesiæ aut quæ pro occu-

pata sede percipiuntur, legata, donationes cæteraque hujusmodi, imo vero reditus ex schola vel cœmeterio derivatos. Eorum quoque muneris profecto est invigilare ne reditus quivis dilapidentur, sed ut pro necessitate conserventur vel adaugeantur, atque in eos fines expendantur ad quos a fidelibus oblati fuerint.

75. Cathedraticum tributum quod ex portione singularum ecclesiarum redituum coalescat, ut constitutum fuit, quotannis a singulis Rectoribus tempore indicato solvendum est. (Conc. Plen. II. n. 100.)

76. Statuimus ut, donec aliter provideatur, in hujus Diœceseos ecclesiis, præter antiquo more servandas collectas diebus Nativitatis et Paschatis, de quibus juxta præscriptas vel præscribendas regulas disponetur, duæ fiant singulis annis collectæ: una nimirum, prima Quadragesimæ Dominica, pro Indis et Nigritis, atque etiam pro Societate Propagationis Fidei, ubi hæc nondum fuit erecta ; secunda mense Octobri, pro Summo Pontifice. Hæ quidem omnes collectæ Dominica antecedente populo prænuntiabuntur, et quamprimum earum summa ad Cancellarium Nostrum transmittetur. (Conc. Plen. II. n. 48; III. n. 243.)

77. Nulli Rectori licebit in ecclesia sua collectam præcipere aut permittere pro opere quod ad bonum missionis directe non referatur, nisi de consensu Ordinarii. (Conc. Plen. II. 119; III. 295.)

78. Ne sua deessent unquam Sacerdotibus, labore vel senio fractis aut longiori ægritudine languentibus, necessaria subsidia, hortatu et protectione Ordinarii, inter plures Diœcesis hujus presbyteros sæculares mutua fuit inita societas, feliciterque crevit, qua auxilio invicem opportuno, quoties res postularet, merentibus pie

provideretur. Societatem hanc adhuc fovere haud detrectent, alter alterius onera portantes, et sic adimplentes legem Christi. Huic societati unusquisque sacerdos diœcesi adscriptus nomen dare urgeatur. (Conc. Plen. III. 71.)

79. Sacerdos quilibet, sive sæcularis, sive regularis, qui hanc Diœcesim quavis de causa reliquit, eo ipso privatus manet facultatibus in eadem illi concessis, quamvis postea in eamdem redeat, donec eædem a Nobis denuo fuerint obtentæ.

80. Interdici jubet Concilium Tridentinum ne cui Sacerdoti vago et ignoto liceat Missas celebrare. Monemus idcirco omnes ecclesiarum Rectores ne sinant aliquem ignotum vel extraneum sacra munera obire, absque speciali Nostra vel Vicarii Generalis in scriptis venia, si copia sit Nos adeundi. Hac deficiente, indulgemus ut Sacerdotes ex aliis harum Provinciarum vel Canadæ diœcesibus iter agentes, sacrum peragere aut prædicare, de Rectoris consensu, valeant, dummodo bonis moribus atque in diœcesi propria facultatibus præditi cognoscantur. Quoad alios permittimus ut extraneus, Ordinarii sui litteris rite munitus, Missam celebrare sinatur, semel tamen dumtaxat, nisi fuerit Sacerdos olim ex hac Diœcesi dimissus. Talis enim expressa Nostra licentia omnino opus habet, ut sacrum munus intra Diœcesim peragere possit. (Conc. Plen. II. n. 118.)

TITULUS VIII.

DE OFFICIALIBUS DIŒCESEOS.

81. Vicarius Noster Generalis, præter potestatem ordinariam ei ipso jure tributam, etiam facultatibus extraordinariis, a Nobis ei concessis, uti valebit quotiescumque ultra diem extra Diœcesim Nos versari contigerit. (Conc. Plen. II. n. 72.)

82. Synodi Plenariæ Baltimorensis III. legi obsequentes, sex in hac Diœcesi Consultores diœcesanos constituendos esse decernimus, tres per ipsum Archiepiscopum nominandos, tres vero ab Archiepiscopo seligendos e candidatis quos Sacerdotes, in Diœcesi ministerio fungentes, designaverint ut idoneos. Munia eorum erunt in iis Ordinario consilium præstare de quibus eos consuli mandavit Concilium, ac sede vacante, partem habere in eligendis candidatis ad episcopatum. (Conc. Plen. III. nn. 17-22.)

83. Decanos pariter seu Vicarios Foraneos instituere decrevimus. Eorum munus erit; invigilare presbyteris intra suum decanatum degentibus, deque iis eorumque missionibus Episcopo referre; examinare libros missionis annuasque relationes et notitias; Sacerdotibus infirmis sollicitudinem impendere, mortuorumque funus curare; vacantibus missionibus providere, atque earumdem bona et libros conservare et custodire; Episcopum tandem in decanatu visitationem peragentem ut convisitatores comitari. (Conc. Plen. II. 74; III. nn. 27-30.)

84. Examinatores Cleri Diœcesani octo esse volumus, quorum officium erit concursus candidatorum ad rectoratus inamovibiles dirigere et dirimere, tum etiam juniores

Sacerdotes per quinquennium post ordinationem examinare. (Conc. Plen. III. 23-26.)

85. Cancellarii Diœcesani munus erit curam gerere archivii Diœceseos, et titulos bonorum ecclesiasticorum ac documenta de temporali et spirituali missionum conditione, postquam examinata fuerunt, in eo reponere. Ad eum quoque recurrendum erit pro dispensationibus ab Ordinario obtinendis. (Conc. Plen. II. n. 75; III. 48, 271, 272, 276.)

86. Exhinc etiam in hac Diœcesi, juxta Constitutionem "*Dei miseratione*" S. M. Benedicti XIV., instituemus munus Defensoris Matrimonii, qui conjugia de nullitate postulata, juxta regulas juris propugnabit et tuebitur. (Conc. Plen. III. n. 305.)

87. Ut judicia ecclesiastica ad normam a S. Sede præscriptam absolvantur, constituemus quoque *Procuratorem Fiscalem*, cujus munia descripta videre est in Instructione S. Congregationis de Propaganda Fide "*Cum magnopere.*" (Conc. Plen. III. tit. x.)

TITULUS IX.

DE REGULARIBUS.

88. Quum omnes Dei Sacerdotes, tam Regulares quam Sæculares, in eumdem laborent finem, ut nimirum gloriam Dei animarumque salutem pro viribus promoveant, nulla sit inter eos dissensio, sed concors potius unitas amorque fraternus. (Conc. Plen. II. 405; III. 85.)

89. Meminerint Regulares se per leges canonicas, ut expositas præcipue in Constitutione "*Romanos Pontifices*" fel. reg. Summi Pontificis, Leonis XIII., sua non

obstante exemptione, parere teneri Ordinarii legibus in iis quæ curam animarum aut Sacramentorum administrationem respiciunt; se etiam episcopali jurisdictioni, saltem delegatæ, subesse quoad domorum religiosarum fundationes, suorum alumnorum ordinationes, Verbi Dei prædicationem, SS. Sacramenti expositionem, librorum de rebus ad religionem pertinentibus approbationem, confraternitatum erectiones, Monialium confessiones, et quoad observanda et vitanda in celebratione Missæ. His in rebus itaque Statuta omnia Diœcesana, et Plenaria, eadem ratione qua Sacerdotes sæculares fideliter observent. (Conc. Plen. II. nn. 410-412; III. nn. 85-92.)

90. Quando Regulares cujusdam districtus regimini præpositi fuerint, ecclesia cæteraque bona ecclesiastica, quæ vel dono vel fidelium oblationibus, intuitu missionis factis, acquisita fuerunt, ad congregationem pertinere censebuntur, deque iis Archiepiscopo æque ac a sæcularibus Sacerdotibus ratio reddenda erit. Reliquorum vero bonorum temporalium ad Regulares qua tales spectantium administratio libera ipsis plene competit. (Conc. Plen. II. n. 195; III. n. 90.)

91. Si quod supervenerit dissidium Rectorem inter et religiosos Fratres vel Sorores in missione sua laborantes, quod amice componi nequeat, volumus ut sicut nullos, nisi de Nostro consensu, in missionem suam admittere valuit, sic etiam nullus Rector eos vel eas sua auctoritate dimittat. Referatur difficultas ad Superiorem Congregationis, vel ad Archiepiscopum, vel demum, si res postulet, ad S. Congregationem de Propaganda Fide. (Conc. Plen. III. n. 91.)

92. Rectoribus missionum et Directoribus Sororum religiosarum in Diœcesi Nostra laborantium enixe com-

mendamus, ut curent in harum domibus observari solitudinem quæ eis propriis regulis est præscripta, ita ut ob hanc clausuram passivam neminem, citra ordinationem Regulæ vel Ordinarii licentiam, claustrum suum ingredi vel in eo morari permittant. (Conc. Plen. III. n. 94.)

93. Simili de causa reprobamus abusum illum quo nonnullæ Moniales huc illuc quandoque circumcursare visæ, et sæpe ad loca ab earum monasteriis remota divertere ausæ sunt, pecuniæ colligendæ gratia. Volumus ut Rectores numquam eis hujusmodi collectas in suis districtibus permittant, nisi scripto Nos contrarium patefecerimus. Contravenientes Nobis denuntientur. (Conc. Plen. II. n. 422; III. n. 95.)

TITULUS X.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

94. Quum instituta a benignissimo Salvatore Nostro Sacramenta totidem sint fontes aquæ salientis in vitam æternam, sacrosancta utique res est eorumdem administratio, et proinde sancte tractanda est, atque tenentur omnes curam gerentes animarum ea non rite solum debitaque cum reverentia tractare, verum etiam nonnisi devote sumentibus administrare, adeoque instituendo fideles providere ut digno modo atque uberi cum fructu suscipiantur. (Conc. Plen. II. 207, 208.)

95. Curabunt ecclesiarum Rectores ut materiæ Sacramentorum fideliter, sollicite ac reverenter custodiantur, atque ut supellex, vestes, ornamenta, linteamina et vasa ministerii integra, nitida sint et munda. (Conc. Plen. II. 208.)

96. Fidelibus Sacramenta petentibus Sacerdotes difficiles ne se præbeant, quin potius populi devotioni pro rerum adjunctis libenti animo obsecundent. Quorum si qui fuerint in sua missione qui diuturno, etsi non lethali morbo, domi detinentur, singulis sæpius in anno, sed certe tempore Paschali, omnem opportunitatem ad Sacramenta suscipienda præbeant, non recusantes iis Sacram Communionem summo mane adhuc jejunis interdum deferre. (Rit. Rom.; Conc. Plen. II. 114.)

97. Caveant Sacerdotes ne aliquid exigant a fidelibus occasione Sacramenti administrandi vel administrati, aut quidquam ea de re paciscantur, imo vero pauperibus ministerium suum gratis præstandum esse recordentur. Nullo tamen pacto inhibemus quin recipiant quæ sponte offeruntur juxta laudabilem consuetudinem, in sacrorum ministrorum sustentationem, occasione Baptismi collati vel Matrimonii celebrati. Omnino autem improbandi, imo severissime puniendi essent qui hæc, quæ offerri solent, ante administrationem horum Sacramentorum exigerent. (Conc. Plen. II. 221.)

98. Quum omnia secundem ordinem fieri debeant, nullus Sacerdos, nisi adsit periculum, aut urgeat necessitas, extra limites sui districtus seu alienæ congregationis fidelibus Sacramenta, præter Pœnitentiam, administrare præsumat, absque proprii Rectoris aut Nostra speciali licentia. (Conc. Plen. II. 117, 124.)

99. In omni Sacramentorum administratione, Rituale Romanum, quod omnes curam animarum gerentes habere tenentur, aut Compendium ejusdem, Baltimoræ editum, omnes diligentissime sequantur, nihil addendo, demendo aut immutando. Contrarias consuetudines

quascumque abrogamus, et nullius esse valoris decernimus. (Conc. Plen. II. 218, 219.)

100. Statuimus, juxta Ritualis præscriptum, in Sacramentis administrandis omnino adhibendam esse linguam Latinam, et, si quædam lingua vernacula reddenda putata fuerint, ea prius Latine recitanda esse. In Baptismo tamen permittuntur sponsores respondere lingua vernacula, et ipsum Rituale jubet sponsos in Matrimonii celebratione vulgari sermone de consensu interrogari. (Conc. Plen. II. 214.)

101. Quando in ecclesiis Sacramenta administrantur, volumus ut vestis talaris et superpelliceum adhibeantur, et desuper stola ejus coloris quem Sacramenti ritus exposcit. Quando vero in ædibus privatis conferuntur, eadem sacra indumenta, quantum fieri poterit, adhibeantur; in omni casu stola saltem deferatur, nisi necessitas id prorsus impediat. (Conc. Plen. II. 149, 293.)

102. Juxta Rituale Romanum, Sacrum Chrisma, Sanctum Oleum Catechumenorum atque Oleum Sanctum Infirmorum, eodem anno sint ab Episcopo benedicta, Feria V. in Cœna Domini. Veteribus proinde Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum ne utatur Sacerdos; imo curet ut nova tempestive habeat, cum iis opus sit Sabbato Sancto in Fontis Baptismalis benedictione. Novis acceptis, vetera comburantur. (Rit. Rom.)

103. Oleum Sacrum Infirmorum asservetur in armario *(ambry)* exstructo in sacristia, vel potius in ipsa ecclesia prope altare majus in facie lampadis SS. Sacramenti, vel solum, vel cum Sacro Chrismate et Sacro Oleo Catechumenorum, si pro his non fuerit armarium proprium prope ipsum baptisterium. Armaria hæc sub clave ac

tuta custodia asserventur, ne S. Olea ab aliquo, nisi a Sacerdote, temere tangantur. (Rit. Rom.)

104. Volumus ut in qualibet ecclesia Sacrarium habeatur, sive locus specialiter designatus et comparatus, in quem ablutiones corporalium et vasorum sacrorum, aqua baptismalis jam adhibita, cæteraque hujusmodi, juxta rubricarum præscripta, immittantur. (Rit. Rom. *De Sacr. Bapt.;* Pont. Rom.)

105. Rectoribus missionum injungimus ut libros habeant, in quibus lingua Latina referant Baptismata, Confirmationes, Matrimonia et Defunctos congregationis. Habeantur præterea libri Parochiales sequentes:

1°. Liber Status Animarum, in quo inscribantur nomina, ubi id fieri potest, uniuscujusque membri familiarum, vel saltem ipsius familiæ, ad congregationem pertinentium, cum factis et notitiis quæ administrationi missionis prodesse possunt.

2°. Liber "Historiæ Missionis," in quo enarretur quæ sit hujus origo; a quo missionario incepta, ejusque prima ecclesia a quo, et quo tempore, et sub quo titulo fuerit exstructa; atque simul paucis verbis commemorentur res precipuæ, quæ notatu dignæ visæ fuerint.

3°. Liber "Inventarii bonorum ecclesiæ," atque "Redituum et Impensarum," seu Œconomicus, *de quo Cfr. n.* 254. (Conc. Plen. II. 222, 223; III. 275, 276.)

TITULUS XI.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

106. Quoniam Baptismi Sacramentum omnino ad salutem est necessarium, maxima in eo conferendo requiritur diligentia, nec unquam sine culpa non adhibetur. Ideo moneantur parentes ut natos infantes quamprimum ad ecclesiam deferant baptizandos, atque faciles se præbeant Sacerdotes ut illud non tantum die Dominica, aut bis vel ter in hebdomada, sed omni die administrare parati sint. (Conc. Plen. II. 225.)

107. Sacerdotibus sedulo curandum est ne unquam extra ecclesiam, præter mortis imminentis casum, Sacramentum hoc administretur, præsertim ubi ad ecclesiam facilis patet accessus. Rure autem et in oppidulis ubi parvuli, ob ter vel quater mille passuum ab ecclesia distantiam, vel ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam, aliasve graves causas, ad ecclesiam afferri commode nequeunt, indulgemus ut domi cum omnibus consuetis cæremoniis baptizentur. (Conc. Plen. II. 237.)

108. Cum Baptismus privatus ob mortis periculum domi conferendus est, Sacerdos, stola alba indutus, omissis ante Baptismum dici vel peragi solitis, catechumenum statim trina, vel etiam una aquæ infusione rite baptizet. Postea vero, si tempus suppetat, et Sanctum Chrisma secum habeat, liniat eum in vertice, linteolum candidum imponat, candelamque accensam ei porrigat. Cessante periculo, cæremoniæ reliquæ in ecclesia suppleantur eo ordine erga parvulos aut adultos, qui pro catechumenis respective servandus fuisset. (Conc. Plen. II. 237, 238.)

109. In unaquaque ecclesia, ubi Baptismi Sacramentum ordinarie confertur, Fons Baptismalis, clavi obseratus, quamprimum habeatur; prope quem omnia quæ ad hujus Sacramenti ministrationem pertinent, debite serventur. (Conc. Plen. II. 234.)

110. Meminerint Sacerdotes sibi non licere, nisi urgente necessitate, uti aqua communi ad conferendum Baptismum etiam privatum, sed adhibendam esse aquam, benedictam saltem breviori illa forma quæ in Rituali reperitur. (Conc. Plen. II. 234.)

111. Curetur ut ipsi laici, imprimis vero obstetrices et nutrices, et, quantum fieri poterit, medici bene calleant modum privati Baptismatis conferendi, ut illud in casu necessitatis administrare sciant. (Conc. Plen. II. 228.)

112. De necessitate Baptismi populus quoque fidelis iterum ac sæpius admoneatur, atque præmuniatur contra scelus illud horrendum homicidii, tam spiritualis quam corporalis, quo infans non baptizatus in utero interficitur matris.

113. Patrinus in Baptismo solemni unus saltem, sive vir, sive mulier, adhiberi debet. Ad hoc autem munus, ex Ritualis etiam præscripto, admittendi non sunt infideles, aut hæretici, aut publice criminosi aut qui fidei rudimenta ignorant. Recusari pariter jubet Rituale Monachos vel Sanctimoniales et alios cujusvis ordinis Regulares a sæculo segregatos. (Conc. Plen. II. 231.)

114. Nomen, quod infanti datur, sit conveniens et congruum, atque, quoad obtineri potest a parentibus, nomen alicujus e Sanctis qui in Martyrologio Romano inveniuntur. (Conc. Plen. II. 232.)

115. Quando diversa tum Sanctorum tum familiæ nomina in Baptismo tribuuntur, in prima interrogatione omnia nomina exprimi possunt; in sequentibus tamen formis et precibus nomina, vulgo dicta Christiana, sola sunt repetenda. In libro Baptizatorum omnia nomina, et quidem plene, recenseantur. (Conc. Plen. II. 233.)

116. Censemus infantes acatholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos esse quoties probabilis affulget spes Catholicæ eorum educationis. Tunc omnino tamen necesse est ut Patrinus vel Matrina, iique Catholici, habeantur. Meminerit autem Sacerdos, in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solum posse, sed imo debere. (Conc. Plen. II. 229.)

117. Baptismus in hæresi susceptus, aut privatim Catholico in casu necessitatis a laica persona collatus, non temere censeatur dubius aut invalidus, sed prius instituatur diligens examen, et deinde, si dubium supersit, Baptismus debito modo sub conditione iteretur. (Conc. Plen. II. 240; III. 120-122.)

118. In neo-conversis ab hæresi ad fidem excipiendis, servetur norma sequens a S. Congregatione S. Officii, die 20ª Julii A.D. 1859 data, et in Compendio Baltimorensi Ritualis relata:

1°. Si Baptismus absolute conferatur, nulla facienda erit abjuratio, nec impertienda absolutio.

2°. Si Baptismus sub conditione iteretur, hoc ordine procedendum erit: *a)* Abjuratio seu Fidei professio; *b)* Baptismus conditionatus; *c)* Confessio sacramentalis (et quidem integra) cum absolutione conditionata.

3°. Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur abjuratio seu Fidei professio, quam

sequitur absolutio a censuris. Poterunt tamen etiam ritus suppleri olim in Baptismo omissi, addimusque confessionem sacramentalem tunc instituendam a tempore Baptismi et absolutionem impertiendam neo-converso uti aliis fidelibus. (Conc. Plen. II. 242; III. 122.)

119. Pium ritum benedicendi mulieres post partum summopere commendamus, ast eum promiscue nolumus concedi, sed ratione habita dispositionis puerperæ. Ne extra ecclesiam fiat aut locum in quo Sacrum celebratur. (Conc. Plen. II. 245, 246.)

TITULUS XII.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

120. Victuris inter innocentiæ fideique hostes utique necessaria sunt adultis Confirmationis auxilia. Grave igitur est eis peccatum si, dum opportunitas datur, non "accipiant hanc armaturam Dei, ut possint resistere in die malo." Ideo vigilent Rectores ne qui ex suis subditis Sacramentum hoc debito tempore recipere negligant. Publice hoc populum, occasione Confirmationis suscipiendæ appropinquante, moneant, et parentes Sacramentis indigni declarentur, qui liberos suos adolescentes ad hoc et SS. Eucharistiæ Sacramentum debite suscipiendum non adducant. (Conc. Plen. II. 250, 440.)

121. Curent Rectores ut confirmandi ad Spiritum S. accipiendum rite parati, id est, probe instructi et a peccato mundati accedant. (Conc. Plen. II. 440.)

122. Quo melius vero disponi queant, hortamur, saltem ubi solus est Rector, ut non nimium multi simul admittantur. Pauciores potius singulis vicibus confirm-

andi præsententur, et frequentior habeatur Sacramenti administratio.

123. Admittantur ad Confirmationem ii tantum qui annum decimum ætatis excesserint, nisi peculiaris ratio aliter suaserit, quique præterea ad primam Communionem aut jam accesserint aut proxime sint accessuri.

124. Si confirmandi diversi sint sexus, masculi, ut in Baptismo, præcedant. (Rit. Rom.)

125. Quando pluribus Confirmatio administratur, statuimus schedulas quasdam, quibus nomina tum Christiana tum familiæ candidatorum inscripta sint, a Rectore singulis dandas esse, quas Episcopo Sacramentum conferenti exhibeant. (Conc. Plen. II. 252.)

126. Valde optamus ut in hujus Sacramenti collatione, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinam et disciplinam, Patrini et Matrinæ adhibeantur pro singulis singuli, mares pro pueris, feminæ pro puellis. Quod si hoc fieri nequeat, saltem duo pro pueris Patrini adhibeantur, et duæ pro puellis Matrinæ. (Conc. Plen. II. 253.)

127. Liber Confirmatorum in ecclesiis omnium habeatur missionum, in quo nomina eorum, qui hoc Sacramento sunt obsignati, describantur eadem cura qua baptizati in regestis Baptismalibus. Notentur etiam Sponsorum nomina propter affinitatis spiritualis impedimentum. (Rit. Rom.)

TITULUS XIII.

DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

128. Erga sanctum et mirabile Eucharistiæ Sacrificium et Sacramentum cultus, reverentia atque honor eximius a ministris ejus potissimum et dispensatoribus est utique exhibendus. Curandum igitur summopere ut vera et sincera erga SS. Eucharistiam devotio, tum in Sacerdotibus tum in populo fideli, in dies magis ac magis vigeat et crescat. (Conc. Plen. II. 207 seqq., 357 seqq.)

129. Asservetur SS. Sacramentum uno tantum in loco cujuscumque ecclesiæ, in quo custodiri potest, solet et debet. (Conc. Plen. II. 266.)

130. Tabernaculum, in quo conservatur, non sit ipsum versatile, sed ostiolo versatili munitum. Sit tuto clausum ope seræ, cujus clavis sit deaurata. Pretiosum sit et maxime ornatum, intus et extra serico velo circumtectum. Nitidum servetur et ab omni alia re vacuum. Vas florum vel quid simile, ante illud ponere non licet, sed a lateribus tantum. Neque imagines, neque reliquiæ Sanctorum, aut quid aliud, præter imaginem Crucifixi, superimponi ei possunt. (Conc. Plen. II. 266.)

131. Sacra pyxis debet esse ex metallo, juxta Apostolicas Constitutiones, ejusque saltem cuppa sit argentea, intus deaurata, eaque munda, suoque operculo bene clausa, alboque velo serico cooperta. Dum Sanctissimum continet, super corporali semper imponatur. (Conc. Plen. II. 266.)

132. In omnibus ecclesiis in quibus Sacrosancta Eucharistia solet asservari, lampas, ex oleo olivarum, vel ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetabilibus nu-

trita diu noctuque præ altari luceat. (Rit. Rom.; Conc. Plen. II. 267.)

133. Curetur omni studio ut purissima aptissimaque sit materia quæ ad SS. Eucharistiæ confectionem adhibetur. Hostiæ sint ex tritici farina et aqua naturali confectæ, recentes, macularum expertes et non facile in fragmenta desilientes. Summa quoque solicitudine vinum procuretur genuinum, ideoque non adhibeantur vina sæpius adulterata, qualia veneunt sub nomine *Port*, *Sherry*, *Madeira*, *Malaga* et similia. Ab ipsis vitis cultoribus et negotiatoribus, qui Catholici sunt et notæ probitatis, vinum pro Sacrificio comparetur. (Conc. Plen. II. 372, 373.)

134. Particulæ sacramentales minores et major hostia semel in hebdomada, juxta votum S. Rituum Congregationis renoventur, veteribus consumptis, et purgato ciborio. (Conc. Plen. 268.)

135. Prohibemus ne Venerabile Sacramentum in ullo loco privato servetur, nisi forte in ecclesia tuto custodiri nequeat, aut longius hæc a Rectoris domo distet. In casu hoc necessitatis reponendum est Sanctissimum in oratorio decenter condecorato, quod in alienum usum haud inserviat, et supra quod nemo cubiculum habeat.

136. Tempus, quo præceptum annuæ Communionis impleri potest, a prima Dominica Quadragesimæ ad Dominicam SS. Trinitatis, inclusive, pro nostratibus prorogatur. Ut omnes sibi commissi ad præceptum hoc servandum adducantur, nullum non moveant lapidem animarum Rectores. Nec ibi sistant; sed omnes Christifideles sæpe invitent ad hoc Convivium, præsertim iis Festis diebus qui ab Ecclesia solemniori pompa celebrari solent. (Conc. Plen. II. 257, 259.)

137. In frequenti Communione suis pœnitentibus permittenda, dispositionis singulorum rationem habeant Confessarii, et quod quibusque magis expedire videbitur, hoc ipsis commendent. Religiosas personas quod attinet moneantur ut in diebus a regula præstitutis communicent; si qui vero aut quæ ita progressum in fervore fecerint, ut digni frequentiori Communione videri possint, hæc illis a superioribus permittatur. (Conc. Plen. II. 258, 259.)

138. In foro externo Catholicis, rationis usu sufficienti gaudentibus, si publice petant, Sacra Communio numquam denegetur, nisi publici peccatores sint, aut notorie indigni. (Rit. Rom.)

139. Pueri et puellæ, post idoneam supra (n. 33) præscriptam instructionem, ii ad primam Communionem admittantur, qui per ætatem ac sufficientem spiritualium intelligentiam capaces judicati fuerint. (Conc. Plen. II. 200.)

140. Per triduum autem ante primam Communionem, tum exercitationibus piis, tum generali potissimum confessione, proxime ad eam præparentur. Ipsa vero die, solemnitate maxima, Divinum Panem sumant, cuncto inspectante populo, et præsertim parentibus, quorum curæ postea animæ istæ, cœlesti convivio refectæ, erunt ferventer a Sacerdotibus commendandæ. (Conc. Plen. II. 260.)

141. Notandum tantam non desiderari ætatem ut quis in articulo mortis SS. Viatico possit et debeat muniri, atque minime dubitent Sacerdotes illis pueris Viaticum præbere qui satis id a vulgari pane discernere didicerint. (Conc. Plen. II. 261.)

142. Infirmis omnibus capacibus SS. Viaticum tempestive deferatur. Si vero eadem perduret infirmitas, in ea potest et debet Sacra Communio per modum Viatici iterum ac tertio et pluries administrari, præsertim si ipsimet ægrotantes cœlestem hunc panem esuriant; sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu, ad ostendendum non deferatur. (Conc. Plen. II. 262, 263.)

143. Meminerint igitur Sacerdotes sibi illicitum esse Sanctissimam Eucharistiam apud se retinere, aut secum deferre, nisi urgente ministerii necessitate, quæ si occurrat maxima se gerant reverentia, et ab inani quovis abstineant colloquio. (Conc. Plen. II. 264.)

144. Sacra Hostia non alio modo quam in bursa decenter ornata, ad collum appensa, atque occulte super pectus innixa, ad ægrotantes deferatur. In ipsa autem ministratione, præscripta Ritualis Romani, quantum rerum circumstantiæ sinunt, diligentissime serventur. (Conc. Plen. II. 264.)

145. Numquam, nisi in gravi necessitate, vel ipsam Hostiam, vel vas sacrum in quo servatur, stolam saltem non gerentes attrectent. Quando vero in ecclesia Sanctissimum e tabernaculo extrahunt, semper superpelliceo et stola sint induti, et prius duo luminaria in altari accendi curent. (Conc. Plen. II. 264.)

146. Praxis piissima invisendi Dominum Nostrum Jesum Christum, indesinenter in SS. Sacramento manentem, a Sacerdotibus foveatur, fidelibusque sibi subjectis verbo et exemplo commendetur. (Conc. Plen. II. 269.)

147. Si prope ecclesiam Rector non habitet, aut alias periculum sit sacrilegæ effractionis tabernaculi, SS. Sac-

ramentum in armario *(safe)* rite confecto et ornato, sive concluso in tabernaculo, sive juxta, de nocte præsertim, recondatur.

TITULUS XIV.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

148. Pro summa Sua erga peccatores misericordia, Pœnitentiæ Sacramentum instituit Salvator, ut vitæ remedium pro iis qui Baptismo regenerati mortem iterum animæ sua culpa obierunt. Quare intelligant hujus Sacramenti ministri se Christi vices agere dum hoc officio reconciliationis funguntur.

149. Nullus Sacerdos hac in Diœcesi confessiones sæcularium, nequidem Sacerdotum, aut personarum Regularium Nobis subditarum, excipere extra mortis articulum presumat, nisi aut Rectorale munus obtineat, aut a Nobis specialem seu expressam licentiam habeat. (Conc. Plen. II. 277.)

150. Quum, præter Ordinem, ad valide dimittenda peccata requiratur etiam jurisdictio, unusquisque Sacerdos ad confessiones excipiendas approbatus, quas facultates habeat, quas non habeat, prudenter exquirat. (Conc. Plen. II. 277.)

151. Compactum anni 1810, quo Episcopi sibi invicem facultates concedebant, jamdudum abolitum est. Attamen, libertatis conscientiæ gratia, concedimus ut omnis Sacerdos extraneus, qui in propria diœcesi facultatibus ordinariis præditus cognoscitur, valeat absolvere Sacerdotem Nostræ Diœcesis, qui in hac ei confiteri elegerit, ac pariter omnes personas quæ in domo ejus veram habent habitationem. (Conc. Plen. II. 118.)

152. Ad valide absolvendas religiosas, illis exceptis quæ justa de causa extra monasterium suum versantur, specialis a Nobis requiritur facultas. Item intra religiosarum domos confessiones personarum sæcularium ibi degentium sine venia speciali excipere non licet. (Votum — S. Congr. Ep^porum^ et Reg.)

153. Noverint Confessarii in facultatibus, quas eis per litteras jurisdictionis concedimus, non omnia comprehendi peccata, adeoque eis absque speciali facultate, a Nobis vel a Sede Apostolica impetrata, non competere potestatem absolvendi :

1°. Ab hæresi, et apostasia a fide, et schismate, eos qui in loco ubi Sanctum Officium exercetur (ex. gr. Romæ) deliquerint.

2°. Complices sibi in quolibet peccato mortali externo contra castitatem.

3°. Sacerdotem omnem qui in confessionali, aut occasione vel prætextu confessionis, vel in loco ad accipiendas confessiones destinato, ad peccandum contra castitatem sollicitaverit.

4°. Sacerdotem qui complicem sibi in hujusmodi peccato absolverit.

5°. Personam in confessione aut occasione vel prætextu confessionis, aut in loco ad accipiendas confessiones destinato, ad peccandum contra castitatem a Confessario sollicitatam, nisi prius sollicitantem Ordinario denuntiaverit.

6°. Personam cujuscumque sexus quæ Sacerdotem aliquem falso de sollicitatione denuntiaverit.

7°. Catholicos qui post annum 1861, vel inter se vel cum acatholica parte, coram præcone hæretico Matrimonium contraxerint, quique pœnam excommunicationis

inde incurrerint, nisi vel ægroti decumbant, vel in carcere detineantur. (Cfr. de Matrim. n. 193.)

8°. Catholicos utriusve sexus, qui novum Matrimonium, conjunge superstite, contrahere attentaverint et inde in excommunicationem inciderint. (Conc. Plen. III. 124.)

154. Quotiescumque de casibus istis agitur, qui in eos inciderint ad Nos absolvendi non mittantur; sed Confessarii facultatem eos absolvendi pro natura peccati vel a Sancta Sede vel a Nobis petant, postquam rei se hujus indulgentiæ jam dignos ostenderint.

155. Confessionalia in ecclesiis in loco patenti et publico erigenda sunt, extra quæ nullatenus confessiones excipere licet mulierum et puellarum, nisi surdæ sint, ægrotæ, ætate decrepitæ, vel aliunde ab ecclesia adeunda impeditæ. In missionibus autem et in privatis domibus, in quibus, deficiente ecclesia, confessiones audiuntur, volumus ut locus sit semper patens et publicus, et crates perforatæ, quantum fieri potest, adhibeantur. (Conc. Plen. II. 295, 296.)

156. Ad sibi soli confitendum nemo pœnitentem inducat, nec libertas, hac in re fidelibus a Christo et ab Ecclesia concessa, ullo unquam modo minuatur. Hinc optime facient Rectores si identidem extraneos Confessarios in sui adjutorium vocent. Religiosis potissimum ter vel quater in anno præbeatur opportunitas conscientiam suam aperiendi Confessario extraordinario. (Conc. Plen. III. 96.)

157. Raro confitentes, eosque qui vel tenera ætate vel rudiori ingenio sunt, præsertim si id ipsi petant, Confessarius interrogando adjuvet; caute tamen, caste et parce. Nomen neque complicis, neque ipsius pœnitentis exquirat. De rebus ad conscientiæ directionem

non spectantibus nec loquatur ipse, nec loqui pœnitentem permittat. (Conc. Plen. II. 281, 283.)

158. Suaviter et paterne cum omnibus, etiam rudissimis, procedat, nec unquam iracundiæ indulgeat. A gemitu et vocis elatione, et ab omni alio strepitu inter audiendum abstineat, ne pœnitenti molestia afferatur, aut adstantibus vel minima fiat revelatio. Si qui forsan imparati accedant, sua, si possit, charitate et diligentia, paratos reddat et dignos qui absolvantur. (Conc. Plen. II. 280, 283.)

159. Impositæ pœnitentiæ sint peccatis proportionatæ, salutares, non nimis diuturnæ aut difficiliores, sed tales, quas, habita ratione status, conditionis, sexus et ætatis, et item dispositionis pœnitentium, prudentia et spiritus suggesserint. (Conc. Plen. II. 289; Rit. Rom.)

160. Pœnitentias pecuniarias, ut in Rituali Romano monetur, sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a pœnitentibus quidquam tamquam ministerii sui præmium petant aut accipiant. Etiam ultro quocumque nomine oblata recusent, nec vel ipsam Missæ eleemosynam in hoc Sacro Tribunali offerri sinant. (Conc. Plen. II. 289.)

161. Sigillum scrupulose servetur. Cum aliis, sive laicis sive etiam clericis, in familiari colloquio de rebus in tribunali auditis numquam sermo fiat, nec unquam a pœnitente petatur venia quæ in confessione dicta sunt aliis revelandi. Si declarandi vel denuntiandi aliquid detur necessitas, id per pœnitentem ipsum fiat vel per alium quem ipse elegerit. (Conc. Plen. II. 290.)

162. Monemus Rectores aliosque Confessarios ut paratos semper se exhibeant ad excipiendas fidelium confessiones, maxime diebus Sabbati, Festorumque vigiliis, vespertino saltem tempore, et, quantum rerum adjuncta

sinant, Dominicis Festisque diebus ante primam Missam; sæpe etiam infra hebdomadam mane post vel ante Missam lectam. (Conc. Plen. II. 291.)

163. Præcipimus omnibus Sacerdotibus, quibus audiendi confessiones potestatem concedimus, ut in sede saltem confessionali non veste talari tantum, sed et superpelliceo et stola violacea induti, sacrum hoc munus obeant. (Conc. Plen. II. 149; Rit. Rom.)

TITULUS XV.

DE EXTREMA UNCTIONE ET CURA INFIRMORUM.

164. Christianis periculose ægrotantibus subveniens Salvator Noster instituit Extremæ Unctionis Sacramentum, quo delicta, si qua sint adhuc expianda, et peccati reliquiæ absterguntur, atque gratia confertur ad insidias dæmonis propulsandas, mortis terrores depellendos, morbi incommoda toleranda, imo vel ipsam corporis sanitatem, si animæ saluti profutura sit, restituendam. Si qui ergo in sua missione audiantur per morbum vita periclitari, qui usum rationis habent aut saltem aliquando habuerunt, non negligant Rectores eos opportune invisere, et amanter eis persuadere ne susceptionem hujus Sacramenti differant et procrastinent, sed potius id sibi administrari petant, dum sui plene compotes fructum ejusdem uberiorem sunt percepturi. (Conc. Plen. II. 303 seq.)

165. Non erit contentus bonus Rector ea tantum infirmorum visitatione, in qua Sacramenta confert, sed pluries eos visitabit, cum eis orabit, ad actus contritionis, fidei, spei, charitatis excitabit, et, elicito ab eis, si pos-

sint, novo confessionis et contritionis actu, nova identidem absolutione donabit. (Conc. Plen. II. 116; Rit. Rom.)

166. Si forte Sacerdoti ægrotos invisenti contigerit dare consilium de rerum temporalium disponendarum ratione, religione quam maxima caveat non tantum a reatu, sed vel ab omni prorsus avaritiæ specie ac suspicione. Onus autem ipsum sive describendi, sive, nisi pro Clericis, exsequendi testamentum constanter recuset. Numquam etiam, nisi gravissima de causa, puellarum tutelam suscipere consentiat. (Conc. Plen. III. 277.)

167. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit, id est, uti explicat Bened. XIV.: "Si, durante eadem infirmitate, post susceptam Extremam Unctionem, morbus ita remittat, ut ægrotus mortis periculum evasisse videatur, sed, antequam convalescat, iterum in vitæ discrimen relabatur, juxta præsentem disciplinam, poterit, sine scrupulo, denuo sacra Unctione muniri." (Conc. Plen. II. 310.)

TITULUS XVI.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

168. Quantum ex se est, Sacerdotes gratiam vocationis ad statum sacerdotalem in juvenibus aptis et dignis foveant atque promoveant, ineptos vero et incapaces ab incipiendis vel prosequendis studiis ecclesiasticis amoveant et deterreant. Parentes quoque accurate de vocatione ecclesiastica doceant, ne ad sanctuarium in-

dignos impellant, aut vocatos ab altari detineant. (Conc. Plen. III. 136.)

169. Fidelium studium sæpius hortationibus accendant, ut contributiones in opus Seminarii seu clericorum institutionis liberaliter impendant. (Conc. Plen. II. 171; III. 160, 184.)

170. Rector, in cujus districtu clerici Seminarii, schola vacante, degunt, paterna sollicitudine super eos invigilet. Eosdem jam adhibeat in tradendo puerulis catechismo, in chori officiis inserviendo, in cæterisque id generis ministeriis ecclesiasticis. Finitis vacationibus, testimonia vitæ infra ferias et morum coram Domino scribat, eaque ad Nos vel ad superiorem Seminarii clausa transmittat. (Conc. Plen. III. 177.)

TITULUS XVII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

171. Ne Christianorum Matrimonium, quod Redemptor Noster inter Sacramenta Novæ Legis connumerari voluit, unquam apud nos, uti apud acatholicos, minoris fiat aut ejus sanctitas obscuretur, nullum studium omittant Sacerdotes. Frequentibus potius instructionibus et monitis efficiant ut fideles sanctitatem ejus obligationesque cognoscant et, ut par est, venerentur. (Conc. Plen. II. 325; III. 125.)

172. Rudimenta fidei ignorantibus et aliis, qui manifeste indigni sunt, contrahere volentibus Sacerdotes non assistant. Ideo nupturientes examinent, et Christianæ doctrinæ prorsus ignaros neque ad bannorum proclama-

tionem, neque a fortiori ad Matrimonii celebrationem admittant. (Conc. Plen. II. 330; III. 125.)

173. Magnam præterea curam impendant Sacerdotes ad rite disponendos fideles qui Matrimonio jungi volunt. Admoneantur ut Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ prius rite recipiant, et sic ad hoc Sacramentum vivorum in statu gratiæ et, qua par est, devotione accedant. (Conc. Plen. II. 329.)

174. Tenetur Rector sedulo investigare num aliquod exstet impedimentum canonicum inter contrahentes, priusquam eos Matrimonio jungat, præsertim ubi dispensatio obtenta fuerit a bannorum proclamatione. (Conc. Plen. II. 328 seqq.)

175. Nupturientes qui ex loco dissito advenerint, certa debent proferre documenta suæ libertatis a bigaminis aliisque impedimentis. Ad hoc tempestive moneantur ut procurent sibi litteras testimoniales Rectoris loci ubi ultimo saltem tempore domicilium vel quasi-domicilium habebant, aut aliter per testes vel etiam per juramentum probent suam libertatem.

176. Stricte servari præcipimus, et quidem in districtu tam sponsi quam sponsæ, si diversum habeant domicilium, quæ de bannorum proclamatione statuta sunt in Concilio Plenario Baltimorensi II. Ea propter in civitatibus et oppidis, ubi singulis Dominicis Missa offertur, debent denuntiationes tribus continuis diebus festivis in ecclesia fieri. Rectoribus tamen facultatem tribuimus, ut, gravi accedente causa, ab una ex istis tribus proclamationibus dispensare valeant. Rure autem, in locis ubi Sacrum celebrari bis vel semel tantum in mense aut rarius consuevit, fiat saltem una bannorum proclamatio. Rector autem, coram quo celebrandæ sunt

nuptiæ, quando sponsi sunt diversi districtus, Matrimonium contrahi non permittat donec a Rectore alterius partis notitiam acceperit factarum proclamationum. (Conc. Plen. II. 331-333.)

177. Studeant Rectores consuetudinem nuptias celebrandi sub vespere de medio tollere, et praxim introducere qua non solum in ecclesia contrahantur, sed infra Missam solemni benedictione consecrentur, vel saltem comitante Missa celebrentur. (Conc. Plen. III. 125.)

178. Ex recenti Sumni Pontificis concessione, benedictio nuptialis conferri potest etiam longo post nuptias tempore, dummodo alioquin Rubricæ non obstent. Curent ergo Rectores ut omnes e grege suo fideles qui eam accipere potuissent vel possunt, magna hac gratia non priventur, juxta regulam ut benedicta non benedicatur, non benedicta vero benedicatur. Monendi vero sunt conjuges, qui antea valide contraxerint, benedictionem hanc ad ritum et solemnitatem, non vero ad validitatem conjugii pertinere. (S. C. S. O., 31 Aug., 1881.)

179. Opportune moneantur fideles vinculum Matrimonii prorsus indissolubile esse et nullo modo posse a civili auctoritate abrumpi; conjugatis proinde non licere novum Matrimonium contrahere donec certum nuntium receperint de morte compartis, quantocumque annorum numero ita remanere debeant. In dubio res ad Ordinarium est deferenda. (Conc. Plen. II. 328; III. 123, 124.)

180. Si contingat aliquem, apparenti ligamine Matrimonii vinctum, novum fœdus inire velle eo prætextu quod irritum fuerit prius connubium, nullus Rector, et a fortiori nullus auxiliarius, causam sua auctoritate dirimere præsumat, sed ad Nostrum tribunal referre tene-

tur, ubi juxta regulas juris, adhibito, si necesse visum fuerit, Matrimonii Defensore, res dijudicabitur. (Conc. Plen. III. App. p. 262.)

181. Si quis attentaverit novum Matrimonium contrahere, conjuge superstite, licet divortio civili separatus, se ipso facto excommunicatione, Ordinario reservata, ligari noverit. (Conc. Plen. II. 327 ; III. 124.)

182. Dispensationes super impedimentis a Nobis per Nostrum Concellarium sunt in scriptis pro singulis vicibus petendæ, et in supplici libello, præter nomina et domicilium oratorum, tum natura impedimenti, vel impedimentorum si pluri sint, tum rationes propter quas dispensatio petitur (quæ graves esse debent), sunt exponendæ. Dispensationes obtentæ in libro Matrimoniorum notandæ sunt. (Vd. Instructionem S. Cong. de Prop. Fide, App. Conc. Plen. III. p. 249.)

183. Dum inituri Matrimonium diversi sunt districtus, ab alterutro Rectore nuptiæ celebrari possunt. Si tamen una pars sit acatholica, a solo Rectore partis Catholicæ dispensatio petenda est, et Matrimonium coram eo celebrandum est, nisi mulier sit acatholica et contrahentes in locis valde dissitis habitent. Hoc in casu sponsorum Rectores inter se convenire poterunt, ut nuptiæ etiam coram Rectore sponsæ habeantur.

184. Sacerdotibus omnibus præcipimus, ut populum sibi commissum admoneant, et hoc quidem semel saltem in anno, tempore præsertim Adventus vel Quadragesimæ, gravi sermone, tum de legibus Ecclesiæ circa Matrimonia mixta, tum de damno quod felicitati ipsorum temporali haud secus ac æternæ imminet, si Matrimonia quæ vocantur mixta ineant. Quod si in casu particulari Matrimonium hujusmodi iniri posse

videatur sequentes semper leges et conditiones sanctissime observentur:

1°. Nullum adsit periculum ne pars Catholica ab acatholica pervertatur, et præterea promittere debet eadem pars se pro viribus allaboraturam conversioni compartis.

2°. Pars acatholica, et quidem in scriptis, promittere debet: *a)* liberum exercitium suæ religionis parti Catholicæ; *b)* Baptismum et educationem prolis utriusque sexus in fide Catholica, etiamsi partem Catholicam præmatura morte abripi contigerit.

3°. Neque intra ecclesiam, neque in ipsa sacristia, aut adhibito aliquo ritu sacro, aut sacra veste indutus, Sacerdos his nuptiis assistat.

4°. Nulla sit ratio timendi duplicem Matrimonii celebrationem, alteram coram Sacerdote, coram præcone acatholico alteram. (Conc. Plen. II. 334, 335, 336; III. 130-133.)

185. Dispensatio super impedimento mixtæ religionis numquam pro Italis petenda est, de quibus non constet Italicum domicilium omnino reliquisse. (S. C. de P. F., App. Conc. Plen. II. p. 321.)

186. Matrimonia numquam in domo privata, absque Nostra licentia, celebrentur; sed etiam quando absque Missa fiunt, si aliunde nihil obstet, in ecclesia, coram altari, contrahuntur.

187. Nolumus Sacerdotes operam præstare iis quos noverint præconem hæreticum adituros, fœderis matrimonialis iterandi causa, vel qui fœdere sic inito, absque pœnitentiæ indiciis benedictionem sacerdotalem petunt. (Conc. Plen. II. 338.)

21526

188. Stricte post Concilium Plenarium III. prohibemus, ne qui scilicet Catholici vel inter se vel cum acatholica parte coram præcone cujuscumque sectæ Matrimonium contrahant vel attentent. Qui hoc ubivis in hac regione fecerint, ipso facto subjacent excommunicationi reservatæ, a qua absolvi non poterunt nisi ab Episcopo, imo a Nobis solis si subditi Nostri fuerint et in hac Diœcesi deliquerint, nisi forte absque fraude legis alium Episcopum adeant. (Conc. Plen. III. 127.)

TITULUS XVIII.

DE CULTU DIVINO.

189. Ecclesia, dirigente Spiritu S., ea omnia ordinavit, quæ Cultum Divinum respiciunt, ita ut nihil desit quod majestatem Dei deceat, nihil quod populum ædificare queat. Vestes sacras et cæremonias omnes, quæ plebem instruant, Sacerdotem moneant, Deum honorent, ipsa præscripsit. Earum etiam minutissimam quis, suo sensu abundans, se inculpatum negligere posse speret? Omnes igitur qui ministerio animarum operam navant, Ritibus ac Cæremoniis illis religiose servandis curam ac sollicitudinem impendant. Incessu ac motu gravi, et verborum distincta prolatione, atque cæteris omnibus actibus Dei instituta digne Deo peragant ac populum ad Deum elevent. Omnia ergo juxta præscripta in Missali, Rituali et Cæremoniali, ut adamussim observentur, præcipimus. (Conc. Plen. II. 357, 358.)

190. Sibi comparent ecclesiarum Rectores illud omne quod est necessarium ad Missæ Sacrificium et alias partes Divini Cultus rite obeunda; pueros quoque ha-

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S.S. CORDIS JESU.

beant ministros, bene instructos, qui, veste talari et superpelliceo induti, altari cum ædificatione inserviant. (Conc. Plen. II. 379.)

191. Ut omnia secundum ordinem fiant et fideles libentius Divinis intersint Officiis, hora commoda statuatur, et statuta accurate servetur, ne cunctando celebrans præsentibus tædium gignat, aut negligentibus causam excusationis suppeditet. Ordo jam communiter receptus quo Missa ultima, die Dominica, post horam undecimam in civitatibus non inchoatur, pro arbitrio Rectoris minime mutandus, Nobis inconsultis.

192. Ritus sacros præscriptos in Cæremoniali, Anglice concinnato, cui titulus, *Ceremonial for the Use of the Catholic Churches in the United States of America*, primum jussu Patrum Concilii Provincialis Baltimorensis I. præparato, et a Gregorio PP. XVI. probato, ac postea adaucto, in omnibus stricte servari volumus, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus in contrarium. (Conc. Plen. II. 217, 219, 220, 379; III. 14.)

193. Volumus præterea ut Sacerdotes in hac Diœcesi diligenter et fideliter observent quæ in *Ordine*, ut aiunt, seu Calendario annuo præscribuntur. (Conc. Plen. II. 358.)

194. Diebus etiam per hebdomadam singulis, quantum fieri poterit, Divinum Sacrificium hora statuta offerre studeant Sacerdotes, suosque hortentur ut ei, quantum poterunt, intersint quotidie, aut saltem in Festis quæ dicuntur Devotionis, quæque ideo populo Dominica antecedente annuntianda sunt. (Conc. Plen. II. 165, 365.)

195. In hac Diœcesi stipendium pro Missa privata celebranda est unum scutatum (*dollar*).

196. Absque antecedenti consensu vel Nostro, vel, si de regulari instituto agatur, Prælati regularis, non licet Rectoribus vel aliis facere fundationes, aut ullo modo suscipere onera Missarum in indefinitum tempus, ut, ex. gr., per Societates, vulgo dictas *Church debt, etc.* Si quæ contractæ fuerint hujusmodi obligationes, servandus est in sacristia liber aut tabella, quæ de oneribus acceptatis fidem faciat. (Conc. Plen. II. 370, 371.)

197. Qui certum numerum Missarum manualium suscepit, debet eas in Calendario suo vel speciali libello inscribere, et, pro ut exonerantur, ibidem de die in diem adnotare; ut, si forte mors intervenerit, antequam omnes exoneratæ fuerint, certo sciri possit quot maneant dicendæ. (Cfr. Conc. Plen. II. n. 371.)

198. Operam suam Sacerdotes omnes, sed maxime Rectores in eo collocent, ut ornatu qui decet, et modo quo fieri potest solemniori, Missæ Sacrificium semper offeratur. Prohibemus ne quis sine veste talari celebret, nisi inopinata urgeat necessitas, Altare sit nitidum, linteamina munda, et vestimenta decora, non lacera vel indecentia; atque supellex sacra tota, sin minus lautior ac splendidior, munditia saltem atque ordine, visentibus omnibus placeat. (Conc. Plen. II. 360.)

199. Amictus, albæ, mappæ, corporalia, purificatoria, manutergia, et pallæ conficienda sunt ex lino vel ex cannabe (*hemp*), non autem ex alia quacumque materia, etiam si hæc munditie, colore ac tenacitate linum aut cannabim æmulet aut adæquet. (S. R. C.)

200. Paramenta habeantur singula pro colore, quo Ecclesia uti consuevit: albo scilicet, rubeo, viridi, violaceo et nigro, sintque pro facultatibus loci pretiosa. Fiant ex panno non vulgari, sed peculiari, aureo nempe,

argenteo, serico, non autem ex lino vel gossipio (*cotton*), nisi his fila serica superimponantur. (S. R. C.)

201. Calices, vel saltem illorum cuppa et patena, lunula quoque ad exponendum Sanctissimum adhibita, sint ex auro vel argento saltem intus deaurato. Calices et patenæ, si qua adhibeantur ex aluminio confecta, conformia sint Instructioni ea de re S. Rituum Congregationis (6æ Dec., 1866).

202. Dum Missæ Sacrificium vel alia Divina Officia celebrantur, mandamus ut candelæ cereæ in altari ardeant, eo saltem numero quem Rubricæ requirunt. Sebaceæ tamen vel similes, maxime exposito Sanctissimo Sacramento, extra altare numero præscripto addi possunt, nisi alioquin obstent Rubricæ. Lumina ex "gas" in ipso altari stricte quoque sunt prohibita.

203. Superpelliceum, ex lino contextum, sit modestum, decorum et sacris functionibus conveniens; biretum Romano bireto sit conforme. (Conc. Plen. II. 150.)

204. Sacerdoti nulli, vi facultatum generalium ei commissarium "celebrandi in quocumque loco decenti," licet celebrare Missam in ædibus privatis, nisi in stationibus, aut dum actu Missionis exercitiis, procul ab aliqua ecclesia, dat operam. (Conc. Plen. II. 362.)

205. In celebratione æque vitetur festinatio nimia, quæ sine scandalo esse nequit, et fastidiosa prolixitas. (Conc. Plen. II. 363.)

206. Sacerdotes, quamdiu Missam legunt vel canunt, numquam ab altari descendant, nisi quando id præcipit Rubrica, aut ad concionem adstantibus habendam; minime vero ad eleemosynas a fidelibus petendum, aut quid simile peragendum. (Conc. Plen. II. 364.)

207. Sacerdos potest in Missis defunctorum cum paramentis nigris Sacram Communionem fidelibus ministrare, etiam ex particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem de tabernaculo; similiter immediate post, vel, data rationabili causa, ante Missam defunctorum. In utroque casu omittenda est benedictio. Altare autem, in quo asservatur SS. Sacramentum, ne in ipsis quidem exsequiis defunctorum, paramentis nigris, sed violaceis tuntum, vestiri potest. (S. R. C., 23ª Julii, 1868.)

208. Celebrandi bis in eodem die facultas est ab Episcopo petenda, et in iis tantum casibus concedi potest ubi certe eam requirit fidelium vehemens utilitas, annectiturque personæ, non loco cui conceditur. Porro ex instructionibus Sanctæ Sedis constat binandi hanc permissionem tunc tantum præsumi posse quando inopinata exsurgit necessitas seu vehemens utilitas. Quovis in casu pro una tantum ex Missis stipendium accipere licet. (Conc. Plen. III. tit. iii. cap. i.)

209. Moneantur fideles de obligatione singulis Dominicis Festisque de præcepto diebus Missam audiendi. Dies hi sunt: Nativitas, Circumcisio, et Ascensio Domini Nostri Jesu Christi; Assumptio et Immaculata Conceptio Beatæ Mariæ Virginis, et festum Omnium Sanctorum. (Conc. Plen. III., Resp. S. Sedis, VI. p. cv.)

210. Epiphaniæ et Annuntiationis festa jam non ut dies obligationis, sed ut devotionis dumtaxat, externa usitata solemnitate, servanda sunt. Festi tamen Corporis Christi, cujus obligatio pariter est sublata, solemnitas in Dominicam proxime sequentem est transferenda. (Conc. Plen. III., Resp. S. Sedis, VI. p. cv.)

211. Omnibus Dominicis ante Missam principalem, iis exceptis, in quibus ipse Episcopus solemniter cele-

brat, facienda est aspersio aquæ benedictæ per ipsum celebrantem. (Miss. Rom.)

212. Monemus Rectores ecclesiarum ut abusibus eliminandis invigilent, qui in cantu ecclesiastico invaluerint. Sacrosancto Missæ Sacrificio et aliis Divinis Officiis musica, non vero musicæ Divina Officia inserviant. Profani potissimum moduli sacris Ecclesiæ concentibus numquan immisceantur. Hinc praxis scenicos numeros et modos, verbis tantum immutatis, in Divinis Officiis adhibendi penitus interdicitur, et tota musica et cantus devota jubentur esse et ecclesiastica. Ad hoc omne non parum contribuetur si antiquo cantui Gregoriano suus servetur honor et locus, ideoque eum in scholis parochialibus doceri valde optat Concilium Baltimorense III., in Seminariis vero id stricte præcipit. (Conc. Plen. II. 361 ; III. 114–119.)

213. Nullus Sacerdotum quovis titulo aut prætextu Missam continuet submissa voce, quamdiu *Gloria* et *Credo* decantantur in choro.

214. Vetatur cantoribus vel Offertorium Missæ vel Seraphicum hymnum *Sanctus*, *Hosanna*, adeo in Missis solemnibus protrahere, ut celebrans cogatur Sacrificio moras innectere donec ipsi canendo finem fecerint.

215. Omnis cantus tempore consecrationis cesset. Organum etiam tunc vel sileat, vel blande et tenue tantum pulsetur. (Cær. Episc.)

216. Vesperæ in omnibus ecclesiis diebus Dominicis Festisque decantentur, neque ob alia exercitia pietatis omittantur. Quod si rure aliquando copia non sit eas habendi, hortamur Sacerdotes ut tempore pomeridiano pueros rudimenta fidei doceant, vel fideles concione

instruant, vel alias devotiones in populi ædificationem peragant. (Conc. Plen. II. 379.)

217. Omnia Divina Officia juxta Missale et Breviarium Romanum, quantum fieri potest, integra decantentur, ideoque psalmos saltem, nullis omissis aut decurtatis, cum hymno et *Magnificat* in Vesperis cantari præcipimus. (Conc. Plen. III. 118.)

218. Optandum ut ipse populus Divina Officia cantare doceatur. Piæ huic praxi in ecclesiis majoribus initium aliquod dari posset formando et instruendo puerorum choros. (Conc. Plen. II. 380 ; III. 119.)

219. Ecclesia solemnem Sanctissimi Sacramenti Expositionem Ordinariorum arbitrio committit. (Ben. XIV. "*Accepimus*," 16 Apr. 1746.) Indulgemus proinde ut solemnis Expositio et Benedictio habeantur :

1°. Singulis diebus Dominicis ;

2°. Diebus Festis quibuscumque primæ et secundæ classis ;

3°. Per octavam Corporis Christi ;

4°. In festo SS. Cordis Jesu, atque prima feria sexta uniuscujusque mensis, et singulis feriis sextis mensis Junii ;

5°. Bis in hebdomada tempore Quadragesimali ;

6°. Semel in hebdomada mense Mariano ;

7°. Singulis diebus sacrarum Missionum tempore ;

8°. Ubicumque fit devotio XL. Horarum. (Conc. Plen. II. 375.)

220. Meminerint Sacerdotes non licere Benedictionem bis in die dare, nisi in Festo ac infra Octavam Corporis Christi.

221. Ad augendam devotionem erga SS. Sacramentum, maxime in votis habemus ut solemnis devotio

precum Quadraginta Horarum, in hanc Nostram Diœcesim cum magno animarum lucro jam inducta, magis magisque in dies diffundatur, atque diebus a Nobis præstitutis in singulis missionibus, ecclesiam habentibus, celebretur. Indulget S. Sedes ut apud nos de nocte Sanctissimum recondatur, et ut processio omittatur, si commode fieri nequeat, quin tamen fideles indulgentiis priventur. (Conc. Plen. II. 376 seq.)

222. Indulgentiæ istæ sunt sequentes : 1°. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum pro pia Sanctissimi expositi visitatione semel singulis diebus lucranda ; 2°. Indulgentia plenaria, animabus purgatorii applicabilis, semel in triduo lucranda, iis concessa, qui confessi et sacra Communione refecti, semel, durante devotione, ecclesiam visitaverint, in qua S. Eucharistia exposita est, ibique pie oraverint. (Conc. Plen. II. n. 376, *collatum cum resp. S. R. C. ad E^tum^ Leavenw.)*

223. Indulsit porro Summus Pontifex ut tum confessio tum communio ad indulgentiam hanc lucrandam fieri queant pridie Expositionis.

224. Volumus ut in posterum Festum patronale ecclesiæ cujuscumque, sive consecratæ, sive tantum benedictæ, quotannis solemniter celebretur, ritu nempe duplici primæ classis cum octava, a Sacerdotibus ecclesiæ adscriptis, tum pro Missa tum pro Officio ; a populo vero devotionibus festivis consuetis. Rure tamen, et ubicumque id melius expedire visum fuerit, poterit ipsa Festi solemnitas transferri in Dominicam sequentem, juxta Rubricas de hujusmodi festis. (Conc. Plen. II. n. 384.)

TITULUS XIX.

DE CŒMETERIIS ET SEPULTURIS.

225. Quum sacræ cæremoniæ et ritus, quibus S. Mater Ecclesia in filiorum suorum exsequiis uti solet, ex antiquissima descendant traditione, eximiaque sint ac saluberrima Christianæ pietatis signa, summo studio servanda sunt, usuque retinenda. Hinc in ipsa ecclesia exsequiæ celebrari debent, atque ea lingua quæ Ecclesiæ usu venit.

226. Hinc etiam, quod antiquissimi est instituti, retineri oportet ut Missa, quantum fieri potest, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur antequam sepulturæ tradatur. Ideo taxa pro Missa exsequiali numquam superet summam a Nobis constitutam, et in gratiam pauperum, qui expensas Missæ cum cantu ferre non valent, Missa privata de Requie, ex speciali indulto Nobis concesso, legi potest, corpore præsente, omnibus illis diebus, quibus permittuntur anniversaria defunctorum. (Conc. Plen. II. n. 394.)

227. Quando, sive Sacro celebrato sive non, post ritus funebres in ecclesia vel domi peractos, defuncti corpus non statim ad sepulturam deferendum est, vel etiam quando in cœmeterio non sunt secuturi alii ritus ecclesiastici, semper in fine functionis dicendum est Canticum "Benedictus" cum antiphona "Ego sum" et precibus in Rituali subsequentibus. (Rituale Rom.)

228. Maxime cupimus ut in Diœcesi Nostra introducantur, ubicumque nondum in usu sunt, ecclesiastica parvulorum funera, quibus Ecclesia innocentia ista sua

membra sepulchro committi desiderat. In iis exsequendis observentur regulæ, quas de parvulorum sepultura habet Rituale Romanum.

229. Moneantur fideles ut neque pro se neque pro suis adoptent morem paganum, nuper ab Apostolica Sede reprobatum, defunctorum cadavera comburendi, sed ut magis corpora, aliquando revivificanda, cum ritibus et precibus ab Ecclesia statutis, in terra, unde sumpta fuere, recondant.

230. Sepultura ecclesiastica, aut Missa in die depositionis a defuncti Rectore, vel, si ab alio, de ejus consensu peragenda est, nisi secus decernat Ordinarius, et salvis in re Regularium privilegiis. (Innoc. III.)

231. Morem decorandi floribus funera fidelium adultorum tamquam a mente Ecclesiæ alienum, spiritumque hujus sæculi nimis sapientem, improbamus, atque ut a Sacerdotibus suaviter fortiterque eliminetur, in votis habemus. Satagatur præterea ut a sepultura Christiana amoveatur omnis alia pompa sæcularis quæ functionem dedecet sacram.

232. Reprobetur pariter consuetodo habendi frequentes vigilias *(crowded wakes)* apud cadavera defunctorum, nec in ecclesia permittatur aperiri feretrum ad ostendendum mortui vultum.

233. Sermo funebris, si habeatur, brevis sit, et in veste talari, absque superpelliceo, pronuntietur. Mortuos ne laudibus inanibus efferat, sed magis adstantes hortetur, ut illos ad tribunal tremendi Judicis piis adjuvent suffragiis, eleemosynis, aliisque bonis operibus.

234. Pro corporibus fidelium debito honore reponendis habeantur Cœmeteria Catholica, pro opportunitate locorum vel variis missionibus communia vel singulis

propria, quæ sint bene custodita, decenter ornata atque sacris cæremoniis et precibus consecrata. (Conc. Plen. II. 388; III. 319.)

235. Ritus ecclesiasticos nolumus adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliuntur in cœmeteriis sectarum, vel etiam in cœmeteriis profanis, ubi adsunt cœmeteria Catholica, nisi in sequentibus casibus. Si nempe Catholici alicujus defuncti, qui fuerit ad fidem conversus, consanguinei superstites sint acatholici, et fundum in alieno cœmeterio jam possideant; vel etiam quando agitur de Catholicis, qui jam ante annum 1853 proprium fundum in alieno cœmeterio habebant, licebit pro talibus defunctis, in alieno cœmeterio sepeliendis, ritus ecclesiasticos adhibere, sive domi, sive in ecclesia, nisi Nos id ob gravem rationem interdixerimus. (Conc. Plen. II. nn. 391, 392; III. 317, 318.)

236. In his casibus, quando fieri potest, optamus ut, juxta votum S. Congregationis de Propaganda Fide, annexum decreto Concilii Baltimorensis II. (n. 392), loculus, in quo humandum est corpus defuncti, secundum formulam Ritualis Romani a Sacerdote benedicatur. (Conc. Plen. III. n. 318.)

237. Prorsus pauperes gratis omnino sepeliantur. (Conc. Plen. II. n. 393.)

238. Pretium vero exigi potest pro loco in cœmeterio quem quis sibi et hæredibus suis in perpetuum exclusive reservatum velit. (Conc. Plen. II. n. 393.)

239. Pecunias quæ ex cœmeteriis derivantur numquam suas facere audeant Rectores, sed eas ad cœmeteria servanda, restauranda atque ornanda, vel ad alias pias causas expendant. (Conc. Plen. II. 393.)

240. Sepultura ecclesiastica privandi sunt omnes qui in infidelitate, in hæresi aut in schismate decesserint; pariter excommunicati notorii et vitandi, aut qui manifeste impœnitentes mortui sint, et parvuli mortui absque Baptismo; illi etiam qui seipsos, dum mentis erant compotes, occiderint ob desperationem vel iracundiam, nisi eos ante mortem pœnituisse apparuerit; pereuntes denique duello, etiamsi ante obitum dederint resipiscentiæ indicia. In dubio consulendus est Ordinarius, quum id commode fieri potest; secus inclinandum est in partem lenitatis. (Conc. Plen. II. n. 389.)

TITULUS XX.

DE ECCLESIIS ET BONIS ECCLESIASTICIS.

241. Vetant Ecclesiæ Catholicæ canones, ne temere et absque Ordinarii auctoritate templum novum exstruatur. Nemini igitur fas esse declaramus sive de nova ecclesia erigenda, sive de amplificandis aut notabiliter immutandis jam exstantibus ecclesiis, aliisve ædificiis ecclesiasticis quidquam statuere aut moliri absque facultate Nostra antea in scriptis obtenta. Neque concedetur hæc facultas donec ædificii intenti ichnographia *(plan)* cum probabili computatione impensarum fuerit Archiepiscopo exhibita. Similiter deinde contractus, antequam subscribantur, proponentur Archiepiscopo. (Conc. Plen. II. n. 192. III. 279.)

242. Rectores quoque, serio monemus ne, inconsulto Ordinario, debita, quibus onerentur ecclesiæ ipsis commissæ, contrahere præsumant. Nullum debitum, ultra ducentos thaleros (200 *dollars*) contrahi potest sine expressa licentia Archiepiscopi. Rectores, etiam ina-

movibiles, hac in re notabiliter delinquentes, juxta conditiones a Concilio Plenario III. statutas, munere suo privari poterunt, et Archiepiscopus nullo modo tenebitur ad solvendum, si quis Clericus contra hanc ordinationem mutuo acceperit pecuniam aut æs alienum contraxerit. (Conc. Plen. III. 279.)

243. Nullus hujus Diœcesis Presbyter retinebit nomine ac jure proprio sive ecclesiam, sive domum, sive bona quævis alia, quæ fideles vel ex toto vel ex parte in religionis studium vel ecclesiasticos usus elargiti sunt; sed in ipsum Ordinarium ea transferet. Translationis hujus documenta seu tituli *(deeds)*, antequam tabulis publicis inscribantur, Diœceseos Cancellariæ pro examine mittenda erunt. Quod si quis Sacerdos, absque Nostra permissione, titulum bonorum vere ecclesiasticorum proprio nomine per tres menses retinuerit, volumus ut ipso facto pœna suspensionis sit innodatus. (Conc. Plen. III. n. 280.)

244. Volumus insuper ut, nisi contrarium fuerit concessum, Rectores presbyterium jure et nomine diœceseos ædificent vel emant, nequaquam ut domum suo nomine possessam inhabitent.

245. Munera ecclesiasticis usibus apta, quæ a fidelibus missionis Rectori oblata fuerunt, ut ecclesiæ proprietas habebuntur, nisi contrarium fuerit expresse a donatoribus declaratum. (Conc. Plen. III. 276.)

246. Quod si Sacerdos aliquis pecuniam propriam in ecclesiæ usum contulerit, id fiat, probante Episcopo et in libro referatur. (Conc. Plen. II. 193.)

247. Quæcumque in domo rectorali aut in ecclesia, bona mobilia ad Clerum pertinent, ut talia describantur, nisi evidens sit ea non esse missionis. Alioquin in dubio ecclesiæ adjudicabuntur. (Conc. Plen. III. 276.)

248. Singuli ideo ecclesiarum Rectores, præter libros parochiales alios, librum quoque habebunt Œconomicum, in quo accurate describant oportet bona omnia, tum realia, tum mobilia, quæ ab ecclesiis suis possidentur et administrantur. Inventarium hunc librum iterum atque iterum lustrare, ac si opus fuerit in ordinem de novo redigere, nullus Rector negligat, non omittens distincte recensere res suas proprias, si quæ cum ecclesiæ bonis sint permixtæ. Compendium insuper suppeditet liber hic tum redituum, tum impensarum anni proxime elapsi, illiusque unum exemplar, a Rectore subscriptum, ad Cancellarium mittatur, in archivis diœcesanis servandum. Archiepiscopo quoque tempore suæ visitationis exhibendus erit et ab eo signandus. (Conc. Plen. II. 193; III. 14, 276.)

249. Si quis Clericorum vel laicorum bona mobilia vel immobilia missionis, sine ligitima permissione, alienaverit, vel a designatis usibus contra donatorum voluntatem averterit, se in pœnas a jure latas incurrisse noverit. (Conc. Plen. II. *Pastoral Letter;* III. 264, 265.)

250. Neque laicis, recto quamvis animo sint, potestas competere potest eligendi ac instituendi eos qui obire solent munus aliquod, sive ad publicum religionis cultum pertinens, sive ad primam juventutis institutionem in disciplina Christiana. Hinc haud amplius licebit ædituorum societati ulli aut laicis quibusvis designare, retinere vel amandare quempiam munus hujusmodi ambientem vel habentem, nisi id expresse Rector sanxerit. (Conc. Plen. II. 184, 201; III. 285.)

251. Quum insuper loca, sacris usibus semel mancipata, sancta habenda sint, nec usibus illis tradenda qui vel palam profani sunt, vel profanum morem sapiunt,

nulla posthac ædituorum societas nec laici quicumque alii permittantur, sive in ecclesia, sive in subterraneo sacello, sive in loco quovis iisdem adnecti religiose solito, conventum agere, imo nec indicere, nisi id singulis vicibus approbaverit Rector, qui de negata vel concessa venia rationem Archiepiscopo reddere tenebitur. (Conc. Plen. II. 194.)

252. Concentus, etiam ii qui vocantur sacri, oratoria musica et similia, nequidem ad causas pias ex pecunia inde percepta promovendas, unquam habeantur in ecclesiis, sive præsente ibi, sive remoto SS. Sacramento. (Conc. Plen. III. 117.)

253. Monitis Conciliorum Plenariorum Baltimorensium II. et III. obsequentes, omnino prohibemus ne pecunia ad fores ecclesiæ exigatur, ut ecclesiam intrare divinisque mysteriis adstare fidelis quivis possit. Imo stricte præcipimus ut in unaquaque ecclesia constituatur spatium liberum, ubi pretium sedis solvere aut non valentes aut nolentes, Sacro interesse et verbum Dei audire possint. (Conc. Plen. II. 397; III. 288, 289.)

254. Rectoribus sedulo curandum est ut quotannis, mense Januarii, ad Cancellarium Nostrum transmittantur relationes quæ statum animarum suæ missionis, necnon ecclesiæ vel ecclesiarum suarum reditus, impensas, debita, aliaque hujusmodi juxta schedulam a Nobis missam explicent. Missionis conditio pecuniaria typis imprimatur ejusdemque exemplar unicuique patrifamilias distribuatur et a rectore publice in coetu fidelium legatur posteaque ad Cancellarium Nostrum simul cum schedula transmittatur. Severissime, imo quandoque suspensionis pœna, culpabilem in mittenda hac relatione negligentiam vel dilationem puniemus, et fraudulenta in

ea deceptio Ordinarii in re magni momenti pro ipsis Rectoribus inamovibilibus causa remotionis esse poterit. (Conc. Plen. III. 38.)

255. Præcipimus omnibus Sacerdotibus, ut cautionem contra damnum, ex incendio ædificiorum sibi commissorum timendum, semper habeant in societate vel societatibus fiducia publica merito gaudentibus, et eam quidem nomine "The Catholic Bishop of Chicago." Circa illam observentur sequentia :

1°. Enumerentur in libello cautionis *(policy)* omnes res quæ exuri possunt ;

2°. Non assecurentur ædificia cum suis contentis ultra præsens eorum pretium ;

3°. Tempestive renovetur assicuratio, et mutetur ejus summa juxta mutatum pretium bonorum in cautione comprehensorum. (Conc. Plen. III. 283.)

256. Ut forensibus litibus et judicii aditus præcludatur, hortamur Presbyteros, imo vero in Domino eis injungimus, ut de bonis suis, si qua ipsis fuerint, testamentum ad normam legum tempestive conficiant. Ita enim, ut decet, Ecclesiæ et pauperibus subvenire poterunt ; et si quæ forte e rebus suis cum missionis bonis permixtæ fuerint, ex iis hæredes injuste non ditescent. Maxime optandum ut unus saltem Sacerdos, pietate ac prudentia commendabilis, in exsecutorum testamenti constituatur. (Plen. III. 277.)

257. Districte prohibemus, ne ullus hujus Diœceseos Sacerdos collectas pro seipso sive in ecclesia, sive inter populum faciat, præter eas quæ expresse pro tempore tolerantur. Quod si reditus ecclesiæ salarium integrum Rectori præbere nequeant, permittimus ut in iis ecclesiis

collectæ fiant, unde quod deest suppleatur. Expleto vero defectu, quidquid superest in ærarium ecclesiæ est demittendum. (Conc. Plen. III. 273.)

258. In singulis missionibus, in quibus residet Sacerdos habeatur arca ferrea *(safe)*, quæ pro archivis parochialibus inserviat. In ea tuto custodiantur omnia instrumenta officialia, sive diœcesana, sive civilia, et libri parochiales ecclesiæ vel ecclesiarum missionis. (Conc. Plen. III. 278.)

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
3 0311 00103 6073

BX 838 .C46 1905

Catholic Church. Archdiocese of Chicago (Ill.). Diocesan

Synodus Dioecesana Chicagiensis

BX 838 .C46 1905

Catholic Church. Archdiocese of Chicago (Ill.). Diocesan

Synodus Dioecesana Chicagiensis

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIIS THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

3 0311 00103 6073